


1
6
94







DIVA
CATHARINA
MARTYR
ALEXANDRI RINVCCINII

AD SERENISSIMVM

COSMVM SECVNDVM

MAGNVM DVCEM

ETRVRIÆ QVARTVM.



FLORENTIAE 1613.

Apud Cosmum Iunctam. Superiorum permissu.

AD SERENISSIMVM
COSMVM II.
MAGNVM DVCEM
ETRVRIAE IIII.

SI licet ingentes paulùm seponere curas,
Et iuuat ad sacras animum reuocare Camœnas,
Hùc oculos inflecte tuos, COSME inclyte, gentis
Gloria Tyrrhenæ: positis sic maximus armis,
Dum mundum, & placida populos sub pace fouebat,
Dulcisono Augustus recreabat carmine mentem.
O' mihi transactæ redeant si tempora vitæ,
Et menti vigor, & redeant in pectore vires,

Vt tua Mœonio resonarem nomina cantu,
Nominaque vario posita sub sydere gentes,
Ioniaq; tremunt ripa, Niliq; latebra.
Sed perge egregium factis superare Parentem,
O decus Italia, secli spes certa futuri:
Non tibi perpetua deerunt praconia laudis;
Arnus amat Musas, dulces alit Arnus olores.
Nunc autem dum sacra cano, dum fata puella
Niliaca aggredior populis renouare Latinis,
Adsis ò, vatisq; tui ne despice munus.

PIO LECTORI

Alexand. Rinuccin.

VIRGINES omnes meritò admiratur, summisq; laudibus earum palmas veneratur Ecclesia, quę sæuissimos perpessæ cruciatus, & immanibus dilaniatæ tormentis in ipsis potius defecerunt, quàm Christi fidem corde fixam, & inconcussam ore quoq; non promerent, ac faterentur. Sed inter has emicat, & maiori quodam lumine coruscat Diua illa CATHARINA, Ægypti lux, & ornamentum, cuius in contemnendis tormentis inuicta fortitudine, & in ethnicis erroribus refellendis diuina sapientia adeò Catholica Ecclesia exornatur in tanta cæterarum Virginum sanctitate, ac varietate; vt quantùm orientia sydera fulgore superant occidua, quantùm Synas mons inaccessus, & religione conspicuus reliquis orbis terrarum præstat montibus, tantùm Virgo hæc in ciuitate Dei, quæ est Ecclesia, alijs virginibus antecellere di-

dignoſcatur. Sed licet hanc Sanctarum Virginum Principem ſemper mortales ſumma pietate coluerint, tamen de ea multa, (vt ſunt ferè omnia antiqua) aut obſcura, aut parùm inter ſe cohęrentia à ſcriptoribus enarrantur. Regia ſtirpe exortam, à Romano Imperatore adamatam, cuius illecebras, ac blanditias cum diuino amore incenſa ſpreuiſſet, varijs primùm tortam cruciatibus, poſtremò ſecuri percuſſam cœlo inuictam, ac glorioſam animam reddidiſſe, conſtat. Cæterùm, qui Reges tantæ Virginis authores, qui parentes fuerint, a Maximino nè, an Maxentio amata, diu obſcurum fuit. Ipſe ego, Pie Lector, cum non vitam omnem, ſed mortem tantùm Regiæ Virginis Heroico carmine celebrandam mihi propoſuerim; qua ſtirpe ſata, quibus parentibus orta eſſet, non indagandum duxi. Maxentium autem potius, quàm Maximinum immanis huius facinoris authorem retuli, famam ſequutus, qua plurimùm Pöëſis innititur, & cui etiam, cum huic operi primam manum admoui, aſtipulabatur Eccleſię authoritas; dum in lectionibus, quæ in huius Virginis natali proponebantur, a Maxentio interfecta legeretur. Succeſsit dein, vt in noua ſacrorum librorum editione, inſtante doctiſſimo Baronio, Maximino tribuerentur omnia, quæ de Catharina Maxentio deferebantur. Ipſe tamen veterem opinionem retinui, cùm magis fabulę, ac rerum coagmentationi inſeruiret. Sublato

blato etenim Maxentio, admirabile illud, quod Pöë-
tis tantę curę est, simul auferebatur, & cuncta addi-
ta fabulæ ornamenta corruebant. Huc accedit Poeta-
rum omnium, qui de hac Virgine cecinerunt, assensus,
Baptistæ scilicet Mantuani, haud obscuri ætatis suæ scri-
ptoris, Augustini Ieuolensis, Benedicti Vuæ, & alio-
rum Italorum, ne Gallos, & Germanos, & Henricum
Kiffel Antuerpiensem, qui postremus hoc tractauit ar-
gumentum recenseam; qui omnes amorem erga CA-
THARINAM, & pœnas de illa sumptas Maxentio
ascribunt. Hanc igitur famam, si non rei puram veri-
tatem secutum velim me existimes, amice Lector, quæ
quantùm in Pöeticis præpolleat, dum rerum tractan-
darum segeti, & vberiori narrationi accomodatur, Ari-
stoteles, & Horatius testantur. Pöetæ enim, vt ipse-
met optimè nosti, sæpius neglecta veritate ab Histo-
ria narrata; quicquid admirabile contingere veri-
similiter potuerit auidè arripiunt, enarrantq; ; ac di-
uersas de vna, eademq; re nacti sententias, eam potis-
simùm sequuntur, quam maiori cum laude pöeticis fig-
mentis vestire posse confidunt. Huius rei testes sunt Pöe-
tæ illi, qui idem argumentum tractandum susceperunt,
ex quibus communi suffragio illi demùm magis proban-
tur, qui à nuda veritate longius recesserunt, quàm qui,
omissis Pöeseos fabulis, & commentis, Historicę narratio-
nis veritatem sunt amplexati.

D·CATHARINAE MARTYRIS

LIBER PRIMVS.

HACTENVS erraui, molles male ſanus amores
Dum cecini, & ſparſas fruſtrà per inane querelas;
Te modò Virgo canam, Aegypti ſpes unica quondam
Nunc cœli decus, & puræ lux inclyta gentis,
Dicam obitus, dicam niueum per ſæua cruorem
Vulnera, & incolumen ſemper ſine labe pudorem;
Non tu mortales, Regum ſata ſanguine quamuis,
Curaſti ſublimis opes, non vaſta tyranni
Tardarùnt promiſſa Itali, & communibus orbis
Regnandus natis, firmo quin pectore, nulla
Pœnarum ſpecie, nulliſq; exterrita iuſſis,

Aegeris ad cœlum dura de morte triumphum.
Tu, cui nulla alti secreta incognita cœli,
Ante omnes, dilecte Deo, intemerate IOANNES,
Seu te summa tenent flammanti sede repostum
Inter sydereos, cœli fastigia, Patres,
Siue super rapidum Tigrim, Nilumq; tepentem,
Conserit vnde suo Phœbus, terramq; fretumq;
Lumine, lapsuri viuis spes maxima mundi,
Adsis, ò, præsensq; faue, si feruidus olim
Non molli vestitus adhuc lanugine malas
Te colui, & nomen supplex in vota vocaui:
Tu mihi crudelis memora, Pater optime, causas
Funeris, & varias artes, agitataq; frustrà
Consilia, at contra quibus auxiliantibus armis
Cœlicolũ charũ seruans CATHARINA *pudorẽ*
Aeternam sparso quæsiuit sanguine palmam;
Iamq; iter ingredior, vatem diuina canentem
Tu rege, mortales fugiant de pectore curæ.
Liquerat ardentis furias exosa tyranni
Niliacos Catharina sinus, atq; arua Canopi,
Arua atauis dominata suis, dum regna manebant,
Aßyriamq; oram, & fines flagrantis Idumes
Ingressa, antiquæ recidiua aspexerat vrbis
Mœnia, quamq; DEVS *solio delapsus ab alto*

FA-

FACTVS HOMO impreßit plãtis, et ſanguine ſa
Aſperſit dira ſuſpenſus in arbore terram; (cro
Inde Palæſtinas medias elapſa per vrbes,
Palmiferaſq; vias, camposq; emenſa patentes
Sammariæ, ſacra demum conſederat vrbe, sch. 2.
Sanctus vbi liquidis effuſus Spiritus auris
Virginea intactæ compleuit viſcera matris;
Ipſe autem inſano iampridem incenſus amore
Virginis, & nitidæ correptus imagine formæ,
Viderat vt Pharia Catharinam excedere terra
Sperarat requiem Cæſar, finemq; dolori;
Sed non inualidis obſtringit ſæuus amantum
Corda plagis, nec miſcet Amor præſentia tantùm
Pabula; ferales auertere pectore curas
Poſſe ratus, Veneriſq; arctos perrumpere nodos
In furias, cæcoſq; abijt Maxentius ignes,
Funditus & tota concepit mente furorem;
Hinc belli importuna quies, hinc munera pacis,
Et nato contempta ſenis mandata parentis,
Quæq; modò Heſperio victrix è littore ſoluens
Venerat Aegyptum claßis, nunc languida portu
Torpebat, poſitiſq; armis ingloria pubes,
Otia laſciuis carpebat mollia terris;
sch. 1. Vnus erat belli quondam haud incognitus arte,

Nunc lingua Antiochus melior tardante senecta
Ingenio, vultuq; ferox, non aptior illo
Castigare dolos quisquam, populosq; superbo
Frænare imperio, dirasq; imponere leges:
Sch. 2. *Maximianus ei gnatum concrederat vni,*
Cum regna Auroræ, Eoasq; capesseret oras,
Vt nimis audaci feruentem ætate iuuaret,
Consilio imperij moderatus fræna secundus;
Hic, vbi regalem languescere vulnere amoris
Agnouit iuuenem, non aduersatus amanti
Principio dederat spatiumq; ansamq; furori,
Sic auersa ratus mollescere posse puellæ
Corda, Pharetoniæ quæ dilectissima genti,
Vt pote magnanimùm prisco sata sanguine Regum,
Iurarat quondam in Christi præcepta magistri,
Vt verò illa preces tanti contempsit amantis,
Et dare Christigenas vetuit Rex sanguine pœnas
Virginis ob causam, sæuas exarsit in iras
Antiochus, rabidoq; inspersus corda veneno,
Quæ toto orbe dabant miseræ durißima gentes
Supplicia Eois doluit non pendere terris:
His igitur stimulis, odijsq; incensus acerbis,
Vt tenuit Syrios virgo purißima fines,
Infandas animo pœnas, & sæua piorum

Fune-

Funera molitur, iam siccas sanguine fauces,
Compressumq; diu exardens satiare furorem:
Nec mora: perrumpit thalamum, iuuenemq; latenti
Ardentem flamma dictis compellat amaris.
O, cui magnanimus cumulauit munera largè
Iuppiter, ingentesq; parat fortuna triumphos,
Quò gens vsque sacras poterit contemnere leges
Imperij, atq; vrbes impunè agitare quietas
Christicolùm totum gens exturbata per orbem?
Nec meritas unquàm soluet tibi sanguine pœnas?
Siccine longæui, ò Cesar, mandata parentis,
Quæq; vrbes rexere tuas sic negligis artes?
Nam quid ego antiqui memorē tibi facta Neronis,
Traianoq; olim instauratas principe sedes?
Sch. 3. *Aut bis euersas Solymorum funditus arces,*
Bisq; actos referā Romana ad templa triumphos?
Quæ pater, & socias alter moderatus habenas
Fecerit, & toto cædes patrauerit orbe.
Respice, nec generosa sequi vestigia Cesar,
Nec dubita ferro sceleratam excindere gentem;
Nunc quoque torpentes Arctoo frigore terræ,
Hesperiæq; plagæ, & Soli vicina cadenti
Littora Christigenùm diffuso sanguine latè
Cuncta madent, lacerosq; artus, & corpora cæsa

San-

Sanguinei voluunt amnes, expendit vbiq;
Quà regit extentum Romana potentia mundum,
Impia gens pœnas, gemitusq; effundit inanes;
Vnus tu insano potes indulgere furori,
Et delubra sinis Diuùm sine honoribus? esto,
Hactenus ardenti Catharinæ incensus amore
Illius ergò omni voluisti parcere genti,
Quæ mentita sui veneratur numina Christi:
Nunc, postquã Assyrijs Virgo procul vrbibus errans
Te fugit, oblatosq; tuos deridet amores,
Quæ mora? cur meritas tandem non surgis in iras?
Et Stygiam imperij diuiso à corpore pestem
Igne trahis, ferroq; secas? heu, numina Diuùm
Irritata nimis, tardas in funera vindex
Cæsar adhuc? fugiant molles iam pectore curæ,
Sume animos, viresq; tuas, iam buccina terris
Obstrepat Eois, cunctosq; ad templa Deorum
Admoneat populos veniant, summoq; Tonanti
Sacra ferant, aliter diras det corpore pœnas,
Ponere qui meritos superis tardarit honores:
Talibus orabat senior, sæuosq; superbus
Intorquens oculos Regis responsa manebat:
Ille, solo tandem vultus, & lumina tollens
Incipit: Exciderunt animo nec iussa parentis,

Nec

Nec mihi regalis formam placuisse negabo
Virginis, Assyrijs quæ postquam finibus errat,
Accedat, populosq; omnes ad templa minister
Aduocet, atque Ioui meriti reddantur honores:
Sic ait, occultamq; domum, notosq; recessus
Ingreditur, varias voluens vbi pectore curas
Multa agitat, nunc ardet amans, nunc æstuat ira,
Nunc cupiens sæuire, piæ nunc parcere genti,
Fluctuat, & somni ducit sine munere noctem:
Ast vbi candenti terras Sol igne colorat
Aureus, exurgit stratis, vrbemq; relinquit,
Ponè virum sequitur nuper comes addita lecti
Faustina, haud gelidas agitans sub pectore curas,
Iampridem mores Catharinæ experta pudicos,
Attamen obsequio vesani corda mariti
Flectere, & ardentem cupiens præuertere mentem.
Regia villa fuit fœcunda in margine terræ,
Quà septem geminus maiori flumine Nilus,
In mare veliuolum nigras contorquet arenas;
Hìc Regi è priscis nuper conflata ruinis
Surgebat luxu moles operosa superbo,
Nec cessabat opus; duri Maxentius ignis
Huc subit impatiens, altum lenire dolorem,
Et curas frustrà cupiens arcere sequaces,

Non

Non secus in varias si quis languentia partes
Lecti membra trahat, charam tamen vsq; quietem
Abnegat, et miserè febris depascitur artus.
Interea Antiochus, stimulis agitatus iniquis,
Impia Romulei vulgari iussa Tyranni
Imperat, in cœtum populos ex aggere præco
Cogit, & horribili collectos admonet ore:
Cum bissena dies obtenta luce tenebras
Depulerit terris, omnes ad templa Tonantis
Adueniant, arisq; ferant sua munera gentes;
At si magna Dei audebit contemnere quisquam
Numina, nec meritos aris imponet honores,
Pœnas morte luat, Quæ vt vox crudelis vbiq;
Didita, compleuit certis rumoribus aures:
Continuò tremefacti animi, trepidoq; tumultu
Tota fremit, mœstisq; vrbem gens pallida complet
Quæstubus; immineat veluti si mœnibus hostis
Barbarus insultans ferro, atque incendia miscens;
Dumq; animis redeunt cædes, & prisca piorum
Funera, iam madidam diffuso sanguine terram
Quisq; videt, lacerosq; artus, truncataq; paßim
Ora virùm, duræq; horret spectacula mortis;
Nec minus & cœdi deuota caterua futuræ
Christigenæ versant varios sub pectore motus;

Pars odisse moras, palmasq; attollere sursum
Cum voce, & dira cœlum iam morte pacisci,
Pars rigidas trepidare minas, & barbara Regis
Supplicia, horrentes gladios, sœuasq; secures,
Vulneraq; & vincla, et mortis genus omne futurum,
Et pauidi spatium vesano optare furori:
Te verò in tantis vno Catharina procellis
Ore vocant omnes, columen tu sola piorum
Diceris, & in sera ò Virgo spes vnica gentis.
Seb. Petrus erat, populum custos, ætate verendus,
s. Sed probitate magis, non illo flectere quisquam
Corda virùm, aut mentes melior mollire rigentes,
Tale seni placidum cano decus excidit ore;
Illius ad sedes omnes, & nota ruebant
Tecta patris, veluti tonitru cum nubilus æther
Personat, & dura campos aspergine pulsat,
Præcipites vnà dant se per inane volantes,
Arboreasq; petunt sedes; vultu ille sereno,
Angatur varijs quamuis mens anxia curis,
Excipit angustis venientes vndiq; tectis,
Nuncq; alacres stimulat dictis, nunc increpat illos,
Quos resides, pauidosq; videt, nunc ardua cœli
Suspiciens, monstrat vacuas in vertice sedes,
Et rogat æternam acquirant per vulnera vitam,

Nunc quos ipse DEVS miseranda in morte dolores,
Sanguinis effundens laniato è corpore flumen,
Sustulerit, pœnasq; omnes, plagasq; recenset:
Ast vbi multorum tingi formidine vultus,
Absentiq; omnes in Virgine suspirantes
Agnoscit, sacras humilis procumbit ad aras,
Inde oculos tollens, lachrymisq; aspersus obortis
Caniciem, effundit gemitus, ac talia fatur.
Si te olim in medio tremefactum turbine mortis
Audijt, & supera genitor miseratus ab arce est,
O DEVS, ò nimium nostros experte dolores,
Aspice, vt immanis furiata mente tyrannus
Insultet, pœnasq; tuis, mortemq; minetur;
Quæ verò afflictæ poterat succurrere genti,
Qua duce, non pœnas, mortemùe paucesceret vllus,
Chara tibi Virgo nostris procul exulat oris;
Ipse ego nil valeo immeritus: Tu suffice vires
Christe pijs, tristesq; animis absterge timores;
Tu verò in dubijs semper patrone periclis,
Implorate mihi, populi miserere labantis
O Marce, antiqui memori si gratia mente
Stat facti, & cineri sacro, gelidoq; sepulchro
Thura damus, tu posce tuis, viresq; animumq;
Diue fauens, rapidaq; pios defende procella.

Dixe-

Dixerat, & culmen ſuper omnipatentis olympi,
Aſtrorumq; vias, ſummo vt bene cognita cœlo
Viua fides illas, & amor cœleſtis agebat,
Aſcendére preces; Quæ me violentia terris
Eripit, & campis mentem ſtellantibus infert?
O domus, ò patria, ò ſuperam qui cingitis vrbem
Cœleſtes auro muri, flammiſq; micantes,
Vos ego mortalis video? licet alta tueri
Limina, & æterni ſpatioſa cacumina regni?
In medio ſuper aſtra ſedet, ſuper ardua cœli
Culmina, qui noſtram reparauit morte ſalutem
Natus homo, cui quot nitido ſunt corpore plagæ,
Tot niueæ effundunt cœleſtia fulgura flammæ
Purpurei fontes, totum qui lumine cœlum
Aſpergunt, ſuperaſq; domos; ceu vitrea primo
Mane errant Solis tremulæ per marmora flammæ:
Aßidet ad dextram nitido puriſſima vultu
Ore Deo genitrix ſimilis, cui fulgida lambit
Luna pedes, Sol igniuomo circundat amictu
Corpus, & ardentes incingunt ſydera crines;
Ter triplici circum hìc ſolium cingente corona
Voluitur Aligerùm varijs exercitus alis
Aethereum lætis reſonans concentibus orbem,
Nec procul humanos gemmata ſedilia cœtus

Accipiunt, rutilis redimiti tempora ſertis
Effulgent, miraq; explent dulcedine mentem,
Queis pietas, queis vna fides, dum vita ſuperſtes,
Cura fuit, charumq; Deo ſeruare pudorem.
Quiq; inopes ſolati auro, ſeu voce potentes
Ad cœlum è cœcis populos duxere tenebris,
Et qui pro Chriſto, pro relligionis amore
Effudère animas, mortem, & genus omne malorum
Perpeſſi, roſeo omnes incinguntur amictu,
Egregiamq; notant flammantia vulnera laudem;
Quos inter ſupero Marcus nitidiſſimus oſtro,
Vt gentem in dubijs vidit fluitare periclis
Dilectam, & vocem audiuit ſenioris amici,
Conſurgit ſolio ſortem miſeratus eburno,
Cui leo tranquillam ſtellatus iaſpide frontem
It comes, & domini placidus veſtigia lambit;
Aſt vbi ſyderei ad ſummum deuenit olympi,
Sublimemq; Dei ſedem ſanctiſſimus heros
Procubuit, ſupplexq; manus cum voce tetendit,
O Deus, ò ſummi ſoboles æterna Parentis
Aligerùm ſator, atq; hominum, cui fulgidus æther,
Cui mare, cui tellus, cui parent ſydera cœli,
Qui furor, & Pharijs tempeſtas improba terris
Immineat, quæ dura ferant edicta tyranni

Respice, & afflictis rebus succurre tuorum,
Non ego Christe tuis diras auertere pœnas,
Nec sæui exopto Regis cessare furorem,
Arma paret, dirasq; ferox exerceat iras
Nil moror, immanes quæ pœnas vita sequatur
Expertus noui, pereant quos vincere mauis,
Cœlestesq; habeant fuso pro sanguine sedes,
Sed timeo tantis ne gens exterrita monstris
Succumbat, ritusq; colat tremefacta nefandos,
Et quæ Aegyptiaca nuper tellure vigebat
Relligio, cadat ingenti labefacta ruina:
Regia erat cœlo iampridem debita Virgo,
Quæ gentem in dubios trepidantem ducere casus,
Et prima infandos poterat tolerare dolores
Fisa tibi, nunc illa sacras venerata ruinas
Assyrijs degit terris, tu consule genti
Christe piæ, populosq; foue quos semper amaui,
Vel me si qua foret te concedente potestas
Redde precor terris, mortales demoror artus,
Iamq; per aduersos hostes, per tela, per enses,
Ire peto, pœnasq; iterum, mortemq; reposco.
Sic fatur, lachrymisq; simul nitida ora rigaret,
Sed superis lugere nefas, namq; altus olympi
Rector vbi humanæ ruperunt vincula vitæ,

Ipse

Ipse manu abstergit lachrymas, vultusq; serenat
Vlterius lachrymare vetans: Siluere phalanges
Aethereæ, summiq; Dei responsa manentes
Mulcere alterno cessarunt æthera cantu;
Ille nouo irradians cœlestia templa nitore,
Qualis vbi bellum placidus morbosq; famemq;
Depellit terris, solio sic infit ab alto.
Nec sæuis labefacta minis, seclude timorem,
Marce profanatas tua gens venerabitur aras,
Tristia nec pulchræ dubitans occurere morti
Supplicia, aut durum horrescet genus omne dolorum;
Ipsa autem dilecta mihi purissima Virgo
Iam veniet, nomenq; meum testata, fidemq;
Signabit facilem qui ducit ad æthera callem,
Incendetq; animos, cedet sapientia linguæ
Virgineæ superata virûm, domus ipsa Tyranni
Concussa, & sancto succensa ardore medullas
Proijcere optabit dulcem mihi sanguine vitam,
Gaudebitq; mori: Tu diro funere mersos
Accipies, superûmq; viros decorabis honore,
Sic furor elusus Regis, sic addita genti
Relligio, Pharias quæ latè effusa per oras
Ad cœlum innumerosq; viros, matresq; vocabit.
Cernis vt horrifero viuens Antonius antro

Hu-

Humanis procul à curis, opibusq; relictis
Cœlestem in terris moneat traducere vitam?
Quos socios, quæ magna virùm video agmina syluas
Aegypti petere, & duras habitare cauernas?
Nec minus innumeræ sacris altaribus vrbes
Dona dabunt, non terram agnus, non victima taurus
Imbuet, in melius conuersaq; sistra tacebunt.
Sch. 7. Vnus erit, iamq; auras execrabile monstrum
Attinget vitæ, Stygio qui cuncta veneno
Asperget Pharias incestans perfidus vrbes,
Auxilium sed Roma dabit, detrusa sub vmbras
Niliacos linquet pestis deterrima fines,
Tum pietas, & vera fides, paxq; aurea terris
Regnabunt, molesq; mihi de marmore surgent;
Tu patronus eris, donec labentibus annis
Infandos heu Marce Deos Aegyptia tellus
Accipiat, ritusq; pios mutata relinquat:
Sch. 8. Tunc tua rupto alias terras tentare sepulcro
Ossa sinam, & medio tandem requiescere ponto;
Namq; tibi Adriacis surget clarissima in vndis
Vrbs nulli pietate minor, gratissima cœlo,
Pro qua te sæpe orantem, populosq; fouentem
Respiciam, placidusq; patres amplectar amicos:
Cernere erit fausto volitantem flamine classem

Threi-

Threicias populare rates, & sanguine fluctus
Spargere barbarico; nitida tu nube repostus
Aligerùm densis circum comitantibus armis
Vibrabis superas arcu stridente sagittas,
Tum genus inuisum, nigris gens debita regnis
Diffugiet, Scithycasq; petet tremefacta latebras,
Ipsi lætantes, remeantes littora cursu
Ornabunt patres nitidis tua templa trophæis,
Optataq; regent populos in pace togati:
Hæc ait, & fido inspirat mandata ministro,
Quæ ferat, & notas Galileæ accedere sedes
Imperat, ille leues subitò pulcherrimus alas
Explicat, æthereasq; plagas, & nubila tranat
Fulgidus, ima petens, supero nox victa nitore
Cedit, & aurata clarescunt luce corusci
Carmelus, summusq; Tabor, secat ille cacumen,
Iamq; superpositæ summis in collibus vrbi
Imminet, & sacras ingressus conspicit ædes
Voluentem sanctas Catharinam pectore curas,
Tum prior: Aeterno salue dilecta marito,
Aegypti sublime decus, lux aurea cœli,
Ille Deus tibi me superis demittit ab oris,
Qui quondam huc lapsus moribundos induit artus,
Ipse tibi alta iubet venientem iussa referre,

Surge

Surge, Palestinas iam Virgo linquere terras
Tempus adest, audita vocant te vota piorum,
Et vocat horriferis tua gens exterrita iußis,
Tu populis succurre tuis, pete littora Ioppes,
Hìc tibi texta aderit mortali haud robore puppis,
Conscende, & rabidos ponti contemne furores,
Illa Aegyptiacis celerem te sistet in aruis;
Hìc nouate poscat si tecta subire tyrannus,
Succede hospitio facilis, custodia cœli
Nusquam aberit, casusq; omnes, quando ille rogabit,
Concessasq; tibi cœlesti munere sortes
Euolue, & visa Assyrijs miracula terris.
Sic ait, & thalamum fugiens, terrasq; relinquit,
Illa oculos tollens, quò te nitidißime, dixit,
Proripis ex oculis, summi decus ætheris ingens?
Quo fugis? expecta ancillæ responsa per auras
Quæ referas, sed nulla oculis sunt inuia summe
Christe tuis, nostriq; vides penetralia cordis;
Ecce sequor monitus, veniam per saxa, per vndas
Quò me Diue vocas, alto tu respice cœlo
Palantes, viresq; mihi, socijsq; ministra:
Vos autem cœli vires, decora alta valete,
O superi, qui sacræ armis aßistitis adi,
Tuq; oculis quæsita meis sanctißima sedes

C Acci-

Accipe supremas lachrymas, quæq; oscula libo.
Sic effata solum largo prona imbre rigauit,
Osculaq; impreßit muris, dein limine parui
Egreditur tecti, montemq; vrbemq; relinquit;
Inde ingressa viam Esdrelon ditißima primùm
Rura videt, camposq; tuos Galilea feraces,
Quæq; Manassæi tenuerunt arua coloni, Sch. 9.
Et iam Cæsareas arces, molemq; superbam
Ereptum duro testantem funere Drusum
Linquit, & Antipatri dextrà de nomine dictam
Aspiciens vrbem nunquam vestigia torquet,
Sed tenet vsq; viam, donec iam spectat Ioppem
Littoraq; & Cephei portus, cautemq; sonantem
Cui quōdam, vt perhibent, religatam brachia Perseus
Regalem eripuit dira de morte puellam;
Hic circùm innumeras stantes in littore naues
Dum stupet, & vasto resonantes murmure ripas,
Ecce simul Catharina leuem sine remige puppim
Aduentare videt, niueam cui robora lucem
Picta vomunt, fusoq; abies circundatur auro,
Iamq; aderat, ripamq; ratis vicina tenebat
Septeno auratos præportans ordine remos;
Agnouit cœli donum admirabile Virgo
Nec mora; lætitia exultans ascendite, dixit,

O socia

O sociæ, & tumidos rémis impellite fluctus;
Ipsa manu vela intendam, stat tendere cursu,
Quò pietas, & certa vocant oracula cœli:
Sic effata ratem subito conscendit, & alta
Parte sedens dextra clauum moderatur eburnum,
Arripiunt comites palmas, & marmora verrunt;
Ast vbi deseruit medijs elapsa carinis
Littus, & æquoreis puppis diffulsit in vndis,
Candida quæ summo pendebant lintea malo
Attolli Regina iubet, prima ipsa rudentes
Tractat, & extendit volitantia vela per auras,
Dumq; pedem faciunt omnes, distincta colore
Signa Crucis roseo niueis effulgere linis
Aspicit, effigiemq; Dei pendentis adorat;
Tum vero nimbi cœlo effugere sereno,
Subsedere vndæ, & tumidi vis aspera ponti
Deposuit pacata minas, suetumq; furorem;
Quin & proceras nutasse in vertice cedros,
Et capita aerias fama est flexisse cupressos,
Aequora dum pelagi cœlestis cymba secaret,
Flamine quæ dulci, & cursu perlata secundo
Ascalona super venientis littora Gazæ,
Commotiq; soli instabiles spectabat arenas;
Iamq; aderat nox, & cœlo spatiata silenti

Attulerat dulces mortalibus atra sopores:
Ipsa oculos intenta polo Catharina tenebat,
Astrorumq; vias, & sydera cuncta notabat;
Ast vbi nox summi ad culmen peruenit olympi,
Ipsa gubernaclum charæ committit Amithæ,
Luminaq; inflectens gratam per membra quietem
Accipit: hìc procerum magna cingente corona
Ore sibi visa ambrosios effundere rores,
Et casus reserare sacros, arcanaq; cœli,
Ipse videbatur Pharius narrantis ab ore
Pendere intentus, casusq; notare tyrannus,
Mox ruere in ferrum furijs immanibus actus,
Et cœdi mandare viros, & spargere terram
Sanguine, tum verò suspiria traxit ab imo
Pectore, & humenti madefecit flumine vultum,
Vt Virgo immiti decerni corpora morti,
Fœdatosq; artus miserè, & pallentia vidit
Ora virum, trepidoq; amens excussa tumultu,
Protinus ex oculis somnum, noctemq; fugauit.
Iamq; exorta polo gelidas Aurora tenebras
Depulerat, lachrymisq; genas Catharina nitentes
Aspersa insolitos oculis vibrabat honores;
Aequoreis qualis perfusus Lucifer vndis
Sydera ridenti nuper dimouerat igne,

Dumq;

Dumq; oculis vestigat iter, terramq; requirit,
Iam Pelusiacam fœcundo in margine cernit
Aduentare arcem, & tepidi prima ostia Nili,
Notaq; mendacis retrò delubra Tonantis
Aspicit, & Casium longè cessisse cacumen:
At sociæ, vt patriæ viderunt littora terræ,
Incumbunt magis, & remis vada cœrula pulsant,
Ipsa gubernaclo ripis Catharina propinquans
Immixtas pelago Nili proscindit arenas.
Regali tum forte thoro Faustina relicto,
Garrula dum Solem nascentem turba salutat
Alituum, & placido mollis fremit aura susurro,
Venerat, & molli ludebat margine ripæ,
Cui plexis innupta manus redimita corollis
It comes, & teneros viridanti in littore flores
Decerpit; qualis Regem per prata sequutus
Lœtus apum pictis volitans exercitus alis
Hyblæumq; thymum, & flagrantia pabula libat:
Ecce autem Regina oculis dum cœrula ponti
Prospicit, exiguum radianti lumine currum
Aduentare videns, ripasq; secare propinquas
Obstupet, & noua virginibus miracula monstrat,
Illusos auro remos, proramq; micantem,
Sparsaq; cœlesti volitantia lina colore,

Mox

Mox iubet acciri nautas, pictosq; phaselos
Impelli, & prima ante alias è littore curuo
Insilit, exardens venienti occurere puppi,
Vt venit, summa Catharinam in parte sedentem
Aspicit, & puppis moderantem fræna coruscæ,
Tum prior: O Pharia Virgo lux inclyta gentis,
Quis DEVS, aut quæ fata uolũt te errare per vndas
Aequoris, & parua vitam concredere cymba?
Pone modum, & magnis pelagi te exolue periclis,
Iamq; veni, excipiet tectis Rex ipse superbis,
Vnde pater placido susceptam flumine Nilus
Ducet, & in patria securam sede reponet:
Hæc illa, & puppi subitò Catharina relicta
Reginæ apprendit dextram, & sic ore profatur.
Veraci confisa Deo de littore cesßi,
Quo duce non ventos, tempestatesq; pauesco,
Nec dubito infido vitam committere monstro,
Et reliquos superare sinus, sed iussa capeßens
Descendo, vestrosq; peto Regina penates:
Vix hæc, & iußus deflectit nauita cymbam
Ad ripam, promunt picto se robore coniux
Regia, & ardenti Virgo nitidissima vultu,
Insequitur formosa cohors, mixtæq; puellæ
Ereptæ pelagi varijs, terræq; periclis,

Et iam regales pennata canebat ad ædes
Fama, Pharethoniæ Catharinam ad littora terræ
Venisse, & mira pontum tranasse carina:
Tum verò attoniti cuncti, stupet inscius alto
Rex solio, reditusq; modum, causamq; requirit
Anxius, & varias agitat sub pectore curas;
Impia dumq; animo redeunt vulgata per vrbem
Edicta, horrendæq; minæ, cædesq; futuræ,
Ingemit, & mœstas ducens è corde querelas
Sæuitiem, & monitus damnat senioris amici;
Nunc miserè ardescens dilecta in Virgine vultus
Figere, & exoptat voces audire loquentis,
Iamq; oculos vultumq; videt dulcedine mentem
Absenti pascens, & inania gaudia libans:
Sic amor, atque dolor turbato in pectore miscent
Prælia, diuerso lacerantur viscera morsu,
Vincit amor tandem, vultumq; serenat amantis
Spe liniens vulnus, pœnamq; è pectore demens:
Ergò vbi fœmineis Virgo comitata cateruis
Venit, & incultæ explicuit miracula formæ,
Occurrit nitido iuuenis lætissimus ore,
Regalesq; domos intrà, sedesq; superbas
Excipit; illa os, atq; oculos deiecta modestos,
Et roseo vultus suffusa colore pudicos,

Per

Per medios transit proceres, aulæq; ministros;
Puniceis qualis surgens Aurora renidet
Sparsa rosis, qualisq; ostro irradiata micanti
Ardescit Solem nubes amplexa cadentem;
Pars erat interior tecti, thalamiq; reposti
Regali insignes luxu, quibus aduena, vel Rex,
Romani aut clari soliti succedere ciues;
Hos Virgo vt subijt, proprias cum coniuge sedes
Rex petit, haud longum spatiumq; locumq; quieti
Concedens, donec famuli conuiuia ponant;
At Virgo, vt Regem, & cunctos secedere vidit
Alloquitur socias dictis, quas tecta tyranni
Viderat ingreßas dubio trepidare timore.
Horrentes Casij syluas, & inhospita tesqua,
Commotæq; leues terræ calcastis arenas,
O sociæ, Assyrias non gens inimica per oras
Sparsa repressit iter, magnos tranauimus amnes,
Nec placidi variata salis pellacia læsit,
Quandoquidem Deus, ipse Deus vestigia torsit
Nostra per incertos tractus, per lustra, per hostes,
Et pontum exiguæ iussit subsidere cymbæ,
Nunc autem tectis voluit succedere Regis,
Quis metus? ipse aderit, certam feret ipse salutem,
Et dabit incolumes patria requiescere terra,

Sic

Sic memorat, greßusq; mouens per singula fertur
Atria, dumq; nouos lustrat studiosa penates,
Inspersosq; auro postes, murosq; superbos,
Picta recognoscit, Maxenti maximus armis
Quæ genitor, sociasq; simul qui flexit habenas,
Geßerat Augustus, populos vrbesq; subactas,
Et Persas Latiæ subdentes colla catenæ;
Ast vbi funereos casus, simulacraq; vidit
Horrenda, & varijs gentem cruciatibus actam,
Protinus, O' sociæ crudelia cernite, dixit,
Supplicia, & nullis deterrita pectora monstris
Christicolùm, O nostrùm immanis dementia Regū;
Non humana satis pœnis laceraße nefandis
Corpora, diffusoq; oculos saturasse cruore,
Impia quin etiam poscit victoria laudem
Ingentem, populisq; suis spectacula monstrat:
Non hæc facta tamen superi sine numine Regis
Agnosco, æthereum spirant simulacra decorem,
Intimaq; ardentes declarant gaudia vultus:
Scb. 10. Cernitis, vt nitido exultans Tiburtius ore
Accensas super adponat vestigia prunas,
Non secus, ac mixtas premeret si floribus herbas?
Ille autem pariter ramis suspensus in altis,
Dum validis arcus inflectunt viribus hostes,

Spicula dum strident, oculos ad sydera tollit
Lætus, agitq; Deo dulci pro munere grates;
Sed quæ cœlesti Virgo nitidissima vultu
Membra sub ancipiti ponit ceu victima ferro?
O decus egregium, o gentis memoranda pudicæ
Gloria, cognosco vultus, habitumq; puellæ
Romanæ, Agnetem charæ spectate sorores;
Vix hæc bissenos, mirum, compleuerat annos,
Cum Christum testata suum connubia magna
Reppulit, & vitam intemerato è corpore fudit;
Nos animæ indecores, queis cœlum morte pacisci
Non licet, ad finem vitæ properamus inertis:
Sic fatur, templiq; videns dare sacra ruinam
Culmina, & errantem muros depascier ignem,
Hæsitat, atq; animo quæ sint incendia versat:
Vt verò ante fores falsi simulacra Tonantis,
Liminaq; armatas vidit seruare cateruas,
Sch. 11. *Supplicia in mentem redeunt, & sæua piorum*
Funera, qui templo obsessi dum nocte frequentes
Betlemias recolunt cunas, partusq; verendos,
Si vellent iussi vitare incendia, signo
Sacra Iouis ferrent, animis concordibus omnes
Funestis vitam voluere abrumpere flammis:
Sch. 12. *Nec procul æratis legio spectabilis armis*

Ve-

Veracem confeſſa Deum, Dijs ſacra profanis
Ferre negat, cæcas ardens tum Cæſar in iras
Sortitur duræ quæ tradat corpora morti;
Aſt vbi nulla ſatis lachrymoſa exempla cadentum,
Nec quiſquam ante aras tanto ſe ex agmine ſiſtit,
Enſibus incurrit ſtrictis exercitus omnis,
Aduerſosq; petit; deponunt protinus olli
Tela manu, flexiq; genu pia corpora ferro
Obijciunt, ſuperasq; petunt per vulnera ſedes:
Parte alia innumeris apparent clara trophæis,
Mœnia, ſublimes ſeptem circundare colles;
Hìc verò ingenti mens eſt concuſſa dolore
Virginis, & largo maduerunt pectora fletu:
Quippe nouas cœlo thermarum aſſurgere moles
Cernebat, magnasq; operi inſeruire cateruas
Sch. 13. *Chriſtigenum, ſcalas alij ad faſtigia portant,*
Pars ſub præduri curuantur pondere ſaxi,
Pars aptant trabibus muros, auroq; micantes
Imponunt poſtes, pendent in dura miniſtri
Verbera, & inualidos lacerant crudeliter artus;
Tum Virgo ad cœlum tendens oculosq; manusq;
» *Da DEVS extentos molem durare per annos,*
Quam famuli poſuere tui, ſanctosq; labores
Reſpice, deponat ſæclis abeuntibus vſus

Impuros, ritusq; pios tua machina seruet:
Talibus illa Deum mæsta dum voce precatur,
Iam positæ mensis epulæ, & conuiuia tectis
Instructa in medijs, incedit regia coniux,
Barbaricosq; auido Catharinam lumine casus
Spectantem, & diras recolentem pectore pœnas,
Aduocat, apprensamq; manu ad conuiuia ducit:
Parte alia, ingenti vt procerum stipante corona
Rex venit, famuli accedunt, & flumine palmas
Aspergunt, epulasq; nouas, & plena reponunt
Pocula, lætanti conclamat regia plausu;
Ipse in virgineo intentus dum lumina vultu
Rex tenet, & placitos formæ miratur honores,
Maiores animo pœnas, sæuumq; per artus
Imbibit ardorem, & duro afflictatur amore:
Ast vbi dempta fames, sublataq; pocula mensis
Consurgit, viridesq; vias ingressus, & hortos
Prata nouis semper gemmis interlita monstrat,
Pomaq; deflexis nunquam non pendula ramis;
Thessala quicquid enim priscis celebrata poetis
Terra tulit quondam, quicquid largitur Hydaspes,
Thurifer aut Ganges Indis emittit ab aruis,
Vt tereret grauibus Maxentius otia curis,
Ordine inhalantes miro congesserat hortos;

In medio fultæ cedris capita alta per auras
Pandentes lata intexunt vmbracula vites,
Non illas venti exuuijs, non frigidus annus
Dispoliant, pandit tumidos vua illa racemos
Plena mero, hæc pingi cupit immatura colore,
Illic apparent nasci sub palmite flores:
Has igitur subter campis spatiatus amœnis,
Vt venit, insano quærens alimenta furori
Mollia marmoreo flectit Rex membra sedili,
Aduersamq; rogat Catharinam assidere rursus;
Inde oculis paulum, & furiata mente moratus
Ardenti supplex voces è pectore promit.
O Virgo, ò sola antiquæ virtutis imago,
Quæ rexit Pharias meliori tempore gentes,
Quæ tibi Relligio mentem, quæ causa subegit
Ignotas tentare vias, perq; inuia lustra
Gentis Idumeæ fines penetrare repostos?
Quin & quæ Solymis remanent spectacula terris
Visa tibi, longosq; tuos euolue labores,
Hoc precor, & puro pendere intentus ab ore
Exopto, nec vestra audisse arcana nocebit;
Talibus orabat, cupiens in Virgine visus
Pascere, & optatæ voces audire loquelæ;
Nec minus haud Christi leges exosa, piosq;

Regia poſcit idem coniux, precibusq; fatigat,
Tum verò agnouit tempus Catharina propinquum
Aſtare, ætherei peragat quo iuſſa miniſtri,
Viſaq; ſub noctem ſubiere inſomnia mentem;
Ergò animo feruens cœleſtem protinus auram
Quæſiuit ſupplex oculis, demiſſaq; vultum,
Dulciſono tales effudit pectore voces.
Accipio tua iuſſa libens Rex maxime, gentis
Gloria Romanæ, populi moderator Eoi,
Et mihi quæ ſuaſit terras penetrare remotas
Expedio cauſam, & myſteria viſa recludo.
Quàm magno Solymam gentem dilexerit vnam
Noſter amore DEVS, quantùm cœleſtibus armis
Iuuerit Iſacidas diuina potentia Reges,
Nouit Hyperboreas vel gens effuſa per oras,
Quæ colit aſſiduo torpentem frigore mundum,
Vel ſiqua extremo terrarum in margine Soli
Subiacet occiduo Herculeas trans incola metas;
Et nos, vt memorant antiqua volumina vatum,
Senſimus ingentes cœleſtis numinis iras,
Cum Pharius leges Iudeæ imponere genti
Rex voluit, ſanctosq; animis auertere ritus;
Ipſa etenim vindex, varijsq; accincta flagellis
Dextra Dei exegit miſerum, nec ſæua quieuit,

Donec

Donec cum populis, turmisq; sequacibus alto
Vortice submersus vitam dispersit in vndis:
Sed veluti vario pelluntur flamine nubes
Ventorum, mentes stabili non sede morantes
Humanas agitant varij sub pectore motus,
MVLTAq; commutat sæclis venientibus ætas,
Quæ viguere diu, Solymis quandoq; recessit
Relligio, & patrum pietas violata priorum est,
Dum sacra impuri temerant delubra nepotes,
Queis tamen ira Dei semper placata pepercit,
Et tenues magno sumpsit de crimine pœnas:
Maxima tum verò scelerata à gente poposcit
Supplicia, & vastam dedit irritata ruinam;
Cùm stimulis acti inuidiæ, insaniq; furore,
Proh scelus, occidère Deum, qui culmine cœli
Factus Homo auxilio miseris mortalibus vnus
Venerat, & populos æterna ad regna vocabat:
Nec secus alpino descendens aggere torrens
Finitimos primùm sternit paruo impete campos,
Mox vbi crebrescunt altis è montibus vndæ
Præcipites, miscetq; nouas nox atra procellas,
Obijce non vllo molem diffundit aquarum
Quòlibet, & rapido latè sata turbine vastat,
Sed rapidi tandem vis fluminis alta quiescit,

Sub-

Subſiduntq; undæ, at nunquam ſaturata quieuit
Dextra Dei, nunquam ardenti non feruidus ira
Sæua Palestinis admouit lumina terris:
Primus ab occiduis veniens dux maximus oris
Periuram muro Titus circumdedit vrbem,
(Quod lachrymans olim docuit Deus ipſe futurum)
Obſeditq; viros, quorum, gens impia, patres
Præſidis ad ſolium concordes vocibus alto
Clamauere Dei ſuſpendi ſtipite corpus,
Damnaruntq; ſuos infando crimine natos;
Hinc vrbis ſacræ excidium, gentisq; ſuperbæ
Exitium, cecidit, moles vaſtiſſima, templum;
Templum, quo nullum toto ſublimius orbe,
Quamuis Roma ſuis miretur clara triumphis
Templa Iouis, celebretq; Epheſus tecta alta Dianæ:
Nec tamen hic requies, aut hæc extrema malorum
Meta fuit, lustris ſed enim labentibus alter
Auſonio Cæſar, ſoluens è littore claſſem
Romanum vertit Solymorum in viſcera ferrum,
Et penitus muros recidiuæ diruit vrbis:
Quid nunc infando oppreſſas matresq;, patresq;
Seruitio, & pretio natorum corpora vili
Vendita, vel miſeræ referam noua funera gentis?
Vtq; ſuo exturbata ſolo, patrijsq; relictis

Sedi-

Sedibus, externas fugiens errarit ad oras,
Cùm populis extructam alijs concederet vrbem,
Aruaq;, & insignem palmis Hadrianus Idumen?
Sic regno, & patria caruit, semperq; carebit
Gens inimica Deo, varijsq; ambagibus acta
Non poterit certis vnquam requiescere terris
Tantum diuinæ potuerunt crimina mortis:
At qui demissum cœlesti è vertice credunt
Humanæ latuisse Deum sub imagine formæ,
Sponteq́; præduros hominum subijsse labores,
Tergeret vt moriens antiquas sanguine labes
Christigenæ dicti sancto de nomine, nunquam
Vlla salutiferæ ducunt obliuia mortis,
Sed Crucis inflexo venerantur poplite lignum,
Quæ tulit optatam mortalibus vna salutem,
Dum Iesum, & Iesus morientes sustinet artus;
Hinc alacres animis cupientes pectore toto
Visere cœlesti conspersas sanguine terras,
Europæ linquunt fines, Libyæq; patentis
Littora, nec dubitant sæuo se credere monstro,
Donec in Assyrio subducant humida portu
Carbasa, & ignotis adfigant oscula terris,
Qua nuper sancta percussa cupidine pectus
Ipsa etiam, patriasq; domos, vrbemq; reliqui,

Et sacros auido lustraui lumine fines;
Nunc si certus amor diræ vestigia cœdis,
Quæq; inter Solymas restant monumenta ruinas,
Audire, expediam dictis, & cuncta reuoluam.
Quæ vidi; sed si auersa iam tædia menti
Dicta mouent, impone modum, non prosequar vltrà.

D·CATHARINAE MARTYRIS

LIBER SECVNDVS.

SIC effata, solo tollit quæ fixa tenebat
Lumina, & immoti expectat mandata tyranni;
Vt verò ille oculos, vultusq; inflexit, & omnes
Prospexit simili Catharina ardore teneri,
Auxilium tacitâ diuinum voce precata
Ambrosijs iterum sic dictis ora resoluit.
Audieram patrios olim liquiße penates
Infantem cum matre Deum, primisq; sub annis
Pellæos penetraſſe ſinus, Niliq; latebras,
Cùm ferus exardens natum prosternere Regem
Barbarico Herodes peteret cunabula ferro:

Hanc ergò molita viam, quà venerat ille,
Omnia laturus miserandæ incommoda vitæ,
Pinguia iam læti superàram rura Canopi,
Et Pelusiaci fœcundas littoris oras;
Cernebamq; ducis Romani assurgere bustum,
Qui quondam notæ dum puppim obuertit arenæ
Infidæ cecidit confoßus vulnere dextræ,
Cùm mihi se longo præcinctæ tegmine matres
Obijciunt, humiliq; rogant succedere tecto;
Nec renuo, iungoq; manus, è claße piorum
Quandoquidẽ apparent, Christũq; fidemq; profeßæ;
Tunc nigram ingressus syluam, Casiosq; recessus
Insequor, effariq; oro, quis sedibus vnà
Imperet occultis rigidam traducere vitam;
Quærenti placido senior sic reddidit ore.
O, quæ syluestres non dedignare penates
Accipe, quæ nostras ingentia dona per oras
Effundens animos Deus inflammarit amore:
Finitimis lætos ducebam sedibus annos,
Longæuusq; simul coniux, ditißimus agri
Qui fuit, & mira Christum pietate colebat;
Vnus erat nobis gelidæ spes vna senectæ
Sch. Filius Ilarion, primo qui flore iuuentæ
L. Discendi studio vestram contendit ad vrbem,

Mox

Mox petit extrema syluas tellure repostas
Aegypti, & rubri Thebæas littoris oras,
Vt, qui longæuos cœlo gratissimus annos
Ducit in horrenti degens Antonius antro,
Visat, & insolitæ spectet miracula vitæ,
Hinc patrios repetit fines mutatus ab illo
Qui fuerat, sanctisq; omnes hortatibus implet,
Nec satis; extemplò genitor quæcuncta reliquit,
(Quandoquidem ad metam longi peruenerat æui)
Vendit, & in gentem largè partitur egenam:
Vnica Idumæis restabat villula campis
Dotalis, centumq; agnæ, totidemq; capellæ,
Hæc quoq; venduntur, precibus sic ille fatigat,
Angustasq; mihi cellas, & parua parari
Templa iubet, primusq; opera inter chara laborat;
Vt vero exiguas cernit iam surgere moles,
Aufugit ad syluas, cæcoq; reconditur antro:
Iamq; ferè elapsis remeabat mensibus annus,
Nullus & ad matris veniebat nuntius aures,
Obuius hac primò cum templi limen adirem
Luce venit, matremq; vocat; proh pallor in ore
Quantus inest, quæ mœsta cauo stant lumina vultu,
Horridaq; arentes vestis complectitur artus,
Tum prior: En Virgo æterno bene cognita Regi

Aduenit, ite citæ, venientem ducite matres
Ad ſyluas, puraſq; vndis aſpergite plantas:
Dixit, & horriferis fugiens ſe condidit vmbris;
Nos iter arripimus, ſed iam noua culmina templi
Apparent, effunde preces gratiſsima Virgo,
Hìc vbi diuinum ingreſsis in vota vocatum eſt
Auxilium: O charæ, dixi, mihi dicite matres,
Vllane perpetua hìc famæ circumuolet aura,
Quam genitrix ingreßa viam, qua ſede morata
Sch. 3. *Duxerit ad noſtras cœleſtia pignora terras;*
Sunt horti nitidi nobis, vbi maximus vndis
Rura ſecat Nilus, puero gratiſſima ſedes,
Hìc, quæ Iudæis manabant collibus, ille
Venit vbi, è tereti diſtillant balſama ligno,
Fonſq; ſalutiferas effundit vitreus vndas,
Paruula quæ ſummi membra aſperſere Tonantis.
Finieram, tum ſumma mihi dans oſcula mater,
Hìc locus, hæc ſedes, hìc nos conſidere, dixit,
Priſca docet pietas, hìc mater feßa quietem
Carpſit, & obſcura puerum ſub nocte locauit;
Iamq; veni ò Virgo, ſummo ſit gloria Patri,
Et Nato qui humiles compleuit numine ſyluas,
Sch. 3. *Quo Caſij veniente Iouis ſimulacra, Deumq;*
Effigies, aris paſſim cecidere profanis:

Sic

Sic memorat, prensamq; manu per singula ducit:
Admiror certo diuisas ordine cellas,
Exiguosq; lares, duraq; ex ilice mensam;
Inde dapes vnà læta libamus agrestes,
Et placidos capimus per dura sedilia somnos:
Et iam noctis erat finis, iam Lucifer vndis
Exortus, cœli extrema statione manebat.
Cùm mihi purpureis effulgens nuntius alis.
(Te cœli, te numen ego inuiolabile testor)
Astare, & dulces visus dare gutture voces.
Surge, Pharetonios iam tempus linquere fines,
Incœptam molire viam, pete inhospita tesqua.
Ille ego Virgo tui custos fidissimus adsum.
Fide Deo, fugient monstra, immanesq; latrones,
Nec commota leues tellus disperget arenas.
Dixerat, & feruens calefacta per ossa cucurrit
Flamma mihi, excutior somno, matresq; relinquo
Vltima complexa libantes oscula fronti,
Ingredíorq; viam, pauidæ me poné sequuntur,
Et tremulis sociæ signant lustra inuia plantis;
Ipsa vni confisa Deo per opaca locorum
Instabilis nec damna soli, nec lustra pauesco
Horrida, quin etiam rursus, mirabile dictu,
Vera loquor, vidi æthereum præire ministrum

Ful-

Fulminea ardenti tractantem hastilia dextra,
Ignotasq; vias cœlesti ardore notantem;
Sic tandem Gazam cunctis exempta periclis
Deuenio, finesq; vrbis, Iericumq; relinquo,
Quaq; Philistæi proscindunt arua coloni;
Iamq; viæ instabat finis, Solymæq; videbam
Assyrijs olim dominantia mœnia terris,
Et sacræ aerio surgebant vertice oliuæ:
Declino, dextramq; peto, iuuat antè videre
Antiquis quondam celebratam vatibus vrbem
Dauidis, stellantis vbi moderator Olympi
Natus homo impleuit primis vagitibus auras;
Ventum erat ad summi spatiosa cacumina montis,
Vnde Palæstinas Betle ditissima campos
Despicit, occurrunt variæ matresq; viriq;
Christicolæ, & grata venientem voce salutant;
Quos circumfusos compellans vocibus vltro,
Fœlices, dicebam, animæ, quibus obtigit auras
Carpere mortales, limenq; attingere vitæ,
Noster vbi Deus exoriens in luminis oras
Paruulus humanos cœpit perferre dolores,
Gramineos monstrate toros, sedesq; beatas,
Agmina quas superùm, & Reges visere Sabœi,
Has quæro, horrentesq; vias studiosa peragro,

Sic ego: responsum contrà sic reddidit vnus,
O' superùm Virgo auxilijs defuncta periclis
Innumeris, dabitur cœcas spectare latebras,
Duraq; nascentis cernes cunabula Christi,
Sed lasciua locum pueri deturpat imago,
Quam nostri posuere hostes gens impia ritus
Indignata pios; verùm tu numen adora
Flexa tamē, Mentem in primis Deus aspicit æquus.
Hæc ille, & cuncti tremulis vestigia plantis
Signantem, & pauido voluentem pectore partus
Virgineos vnà ducunt è limine portæ,
O cœca mersas hominum caligine mentes
Noxia lethiferæ sectantes commoda vitæ,
Quæ vidi? qualis mentem circumstetit horror?
Et toto gelidi riguerunt corpore sensus?
Est horrens paruis innixum mœnibus antrum,
Vndiq; quod duræ latebroso pumice cautes
Incingunt, nullo credas fabricasse magistro
Naturam, & tophis arcum imposuisse cauernæ,
Intus scabroso apparent præsepia saxo
Agresti composta manu, queis suetus arator,
Pascere fumantes nocte incipiente iuuencos,
Hic igitur Deus, hic hominum sator ille, paterq;
Ille opifex cœli, æterni genitoris imago,

Cùm locus angusta matri non esset in urbe
Nascitur, excipiunt calami, stipulæq; rigentes,
Blandaq; anhelanti refouent animantia lingua;
Nos, quibus exiguo degamus tempore, sedes
Tollimus ad cœlum, Pharijs suffulta columnis
Atria d ffulgent, auroq; insperfa renident,
Et tegit immensos conchilis purpura muros;
Nec satis; ingenti conduntur membra sepulcro
Putrida, custodit cineres altissima moles;
Tum verò humenti maduit mihi flumine vultus,
Inspexi ut rigidum accedens præsepia saxum,
Infantis sub nocte torum, genitricis imago
Ante oculos subijt, pueri quæ vilibus artus
Implicitos pannis in stramine reclinauit,
Dulciaq; admouit diuinis ubera labris:
Talia commota voluebam mente, nec unquam
Exesa auertissem oculos satiata cauerna,
Sed iam nox aderat, monitis auulsa mearum
Digredior tandem, atque urbem stupefacta reuiso:
Postera vix summis Aurora fugauerat umbras
Orta iugis, surgo è stratis, comitesq; fatigo,
Feruet inexhaustus calefacta per ossa cupido
Et sacras præmonstrat opes, sanctumq; sepulchrum,
Visaq; commotam stimulant cunabula mentem;

Qualis

Qualis odora canis, certa vt vestigia cerui
Naribus agnouit, campos, montesq; peragrat
Feruida, non illam rupes, saltusq; retardant:
Haud alter rapido, quà monstrat semit, agressu
Pergimus, & montis tandem consistimus alti
Vertice, & aduersam spectamus desuper vrbem.
Fama est antiquos fœlici tempore Reges
Has arces; summiq; domos habitasse Syonis,
Nunc muris seiuncta nouis, desertaq; sedes,
Nil nisi relliquias priscorum ostentat honorum;
Vna tamen varijs circum vallata ruinis,
Quà læuus datur extremam descensus ad vrbem,
Restat adhuc maiora domus vestigia seruans,
Singula percupido lustrabam lumine, Christiq;
Ingentes tacita meditabar mente labores,
Quos tulit, ingratam dum sedulus admonet vrbem,
Cum subitò è tectis matresq; virosq; propinquis
Prodire, & summi video petere ardua montis;
Expecto, dubiosq; oculos per singula voluo:
Vt verò ante alios cerno vix ægra trahentem
Membra senem, tremulo pendet cui plurima mento
Canicies, vestisq; pedes subnectitur imos,
Agnosco vultus, venerandaq; præsulis ora,
Lætitiaq; fremens, O charæ cernite, dixi,

 En

Sch. 4. *En venit ille mei aduentus benè conscius Hermon,*
Qui regit antistes Syrias sanctissimus vrbes.
Accelerate viam, tantoq; occurrite patri,
Nec plura his; summo descendo è vertice montis.
Et procul, O Solymæ custos fidissime gentis,
Viuis adhuc centum populis seruate per annos?
Vt te, fulgentesq; tuos lætissima vultus
Aspicio, ò nostri requies optata laboris:
Sic memorans, amplexa dabam sacræ oscula dextræ.
Ille refert, Duco effœtos nulli vtilis annos,
Sic statuit DEVS, ò multos mihi regia Virgo
Expectata dies; Fœlix, cui flore iuuentæ
Nomine pro Christi licuit cum sanguine vitam
Spargere, cœlesti nunc auro incinctus, & ostro
Exiguæ æternum pugnæ suscepit honorem,
Me si cœlicolûm Rector decorasset acerbo
Funere, iampridem cœlestia regna tenerem.
Nunc feror incertis vitæ sub fine procellis:
Talia dum memorat sacras progressus ad ædes
Venimus, hîc artus antiqua in sede trementes
Componit, iuxtàq; iubet me assidere Præsul,
Vt verò vultum, & totum mihi lumine corpus
Lustrauit, placido est iterum sic ore loquutus.
Sic tibi submissis oculis, & pectore puro

Cernere diuinæ liceat vestigia mortis;
Vt te sacrato tepefactas sanguine terras
Visentem accipio lætus, purissima Virgo,
Virgo oculis optata meis, tune illa parentis
Filia, crudeli quondam qui percitus œstro
Christigenûm extremis mulctabat corpora pœnis?
Namq; Pharethonia memini me sede morantem,
Cum septemgemini superaßem flumina Nili,
Primores vrbis furijs immanibus actos
In gentem vidisse piam fera bella mouentes,
Et sancto vestras maculantes sanguine terras;
Omnibus ipse prior iuuenili robore feruens,
Et Regum genitor priscorum stirpe superbus
Instabat, nostrosq; odijs agitabat iniquis;
Sch. 5. Tùm forma, & nitida præstantem ætate puellam,
Cui prius ærata conuulsi forcipe dentes,
Funereas vidi intrepidam conscendere flammas,
Humanam vt labem moriens exureret igne;
Qualis in ardenti tandem pulcherrima nido
Eluitur, viuitq; iterum per funera Phœnix:
O vtinam æquali fulges vt flore iuuentæ,
Sic quoque diffuso ascendas Catharina cruore
Sydera, & æthercam sumas de morte coronam;
Quòq; magis petere æternam per vulnera vitam,

Sper-

Spernere, & humanas valeas fortissima pœnas,
En tibi monstratur campus, quo maximus ille
Athleta in dura nimium luctatus arena
Pertulit ingentes miseranda in morte dolores;
Singula quæ Solymam latè tibi sparsa per vrbem
Ostendam, veniamq; comes, ni tarda fatiscant
Genua, nec effæto desint in corpore vires;
Sacrorum sedenim custos, sociusq; laborum,
Macarius, lustrabit vbi sol aureus orbem,
Signabitq; viam, & mysteria cuncta recludet;
Non tamen ante pedes referes é limine nostro,
Quàm tibi quas intus seruant penetralia, Virgo,
Relliquias immiti ostendam è cœde receptas.
Sic ait, & tecti subter fastigia ducit;
Nox cadit interea, & terras caligine lustrat,
Vt verò exoriens stellas Aurora remouit,
Humanos reuocans candenti luce labores,
Consurgo, videoq; senem iam sacra parantem,
Et niueis tremulos aptantem vestibus artus;
Tum læuam prensare mihi, & descendere, qua nos
Cœca per angustum ducebat semita callem:
Est locus haud ingens antiquo fornice tectus
Desuper, & multa circum tellure refusus,
In medio gemmis, ostroq; altare renidens

Surgit,

Surgit, & ardentes circùm longo ordine lychni
Obscuram vigili propellunt lumine noctem:
Vt ventum est, fumantem humilis consistit ad aram
Antistes, sanctoq; preces effundit ab ore:
Ast vbi sacra Deo nostro de more peregit,
Cœlestisq; omnes panis libamine pauit,
Accedunt sacri candenti in veste ministri,
Maioriq; nouas incendunt lumine tedas;
Emicat ante alios roseo velatus amictu
Macarius, mortemq; Dei sacro intonat ore:
Inde alij excipiunt plausus, resonantq; per ædes,
Vt sex exactis cœlestis victima lustris
Accipit, vt tacito crudeles gutture cultros
Agnus, & emittit nullas in cæde querelas;
Non secus in ligno moriens Deus ipse pependit,
Hinc populis optata salus, hinc sanguinis vnda,
Quo mare, quo terra, & nitidi vaga lumina cœli
Abstergant veteres pretioso flumine labes;
Interea plausu resonant dum claustra canoro
Sch. 6. E sacris veneranda adytis monumenta sacerdos
Portabat, tantosq; aræ imponebat honores:
Accedo, & tremefacta oculos in sindone figo,
Qua Domini quondam extincti miserabile corpus
Inuoluit, nitidoq; dedit pia turba sepulcro,

Candida

Candida erat, sed tunc roseo interfusa colore;
Vndiq; fœdati distinctos corporis artus
Seruat adhuc, humerosq; Dei, plantasq;, manusq;,
Vultumq; & nigro madefactum sanguine pectus,
Hinc mihi regalis Tyrio medicata cruore
Visa chlamys, superi diris quæ cæsa flagellis
Membra sub extrema Regis prætexerat hora;
Te quoque, quæ lato terebrasti vulnere pectus
Sanguineas seruare notas in cuspide vidi,
Hasta ferox, hasta humani medicina laboris:
Tum verò ingenti tremuerunt cuncta pauore
Membra mihi, vt sacro ante oculos venere cerebro
Infecti dumi, & spinis paliurus acutis:
Hæcne caput summi cinxerunt serta Tonantis?
Aggreßa effari, sonitum sed frigida nullum
Lingua dedit, summoq; hæsit sine voce palato;
Inde manu cernens rigidam asportare catenam
Macarium, quales quondam seruisset in vsus
Ancipiti voluebam animo, sed maximus Hermon
Hærentem agnouit mentem, & sic ora resoluit.
Non hæc sæua Dei religarunt vincula corpus
O' Virgo, sed Petri olim cinxere lacertos,
Cùm Christi cunctos, sacro insidiatus ouili,
Barbarus arderet socios Rex perdere ferro,

Aliger at ſupero fulgens adamante miniſter
Adueniens fregit poſtes, & carcere vinctum
Eduxit, laxæ ad terram cecidere catenæ;
Atq; equidem memini Romæ iuuenilibus annis
Sch. 7. *Vrbanum vidiſſe ſenem, qui maximus omnes*
Chriſtigenas ſancta populos ſub lege fouebat;
Ille mihi ſimilem, patrum dum facta recenſet,
Quæ Petri obſtrinxit morituri colla, catenam
Oſtendit, non ſi quis eas connecteret vnà
Dignoſcas, ambæ horriſonæ, ferroq; rigentes:
Nunc autem conuerte oculos, aramq; tuere;
(Namq; illam elata nudarant veſte miniſtri)
Hìc Deus, hic Ieſus ſuprema in nocte recumbens
Inſtituit ſacram diuino è corpore menſam;
O' amor, ò ſummi nimis inclinata poteſtas
Magna Dei, non illi vitam effundere nobis,
Non ſatis effuſo terram ſaturaſſe cruore;
Quin etiam diræ renouans ſpectacula mortis
Teſtari ingentem voluit per ſæcula amorem,
Corpus & in iugem liquit mortalibus eſcam.
Hæc ille; ipſa oculos fletu ſuffuſa rubentes
Inſpicio, & ſacro affigo ſimul oſcula ligno,
Hæſiſſemq; diu, ſed me iam tempus eundi,
Admonuit ſenior, ſurgens vbi ad æthera vertex

Altus Oliueti Syrias circumspicit vrbes:
Parua erat antiquo exesi sub fornice muri
Iam iam porta cadēs, breuibus malè fulta columnis.
Hàc me cum socijs læto placidissimus ore
Emittit Præsul, dictisq; hortatur euntem.
Hac Deus egressus porta, loca nota petiuit
Sub noctem, mediosq; iuit moriturus in hostes.
I Virgo, sectansq; tui vestigia Christi
Disce pati, & duras animo iam concipe pœnas;
Hæc senior, tardumq; pedem intrà tecta retorsit:
Nos iter ingredimur, monstrat quod præuius ipse
Macarius, signatq; via monumenta vetustæ,
Has Dauid, Regesq; arces tenuere priores,
Mœnibus incinctas arces, has ille colebat,
Cui primum sub nocte Deum traxere reuinctum:
Hìc porta vrbis erat, qua paruo inuectus asello,
Non secus ac spolijs redijt qui victor opimis,
Rex noster populum summos excepit honores:
Omnia quæ cupido lustrabam lumine, & alto
Pectore lætantis voluebam gaudia lucis,
Cùm læuà ante oculos lapidum congestus aceruus
Venit, & antiquam seruantia marmora formam;
Quos casus, quas magna notant monumenta ruinas
O Pater? hic ne illa externas celebrata per oras

Tem-

Templa Dei? sed vbi illa auro tecta alta micanti
Conspersa, aurataq; trabes, postesq; superbi?
Sic ego, responsum contrà sic reddidit ille,
Hìc erat, ò Virgo, templum, Deus omnia vindex
Transtulit Italiam, spolijs Romanus onustam
Sch. 8. *Victor Idumæo classem de littore soluit:*
Tùm virga, irriguas duxit quæ è cautibus vndas,
Et legum tabulæ, manibusq; auecta nefandis
Arca fuit, perijt Solymæ omnis gloria gentis,
Cunctaq; Romuleo ducta ad Capitolia curru;
Nunc Pacis seruare ferunt templa alta trophæum.
Hæc ille, & prisco dicti de nomine Cedron,
Quà datur, exigui ripas transcendimus amnis,
Arduaq; aggredimur montis; cùm pectore ab imo
Dux ciet ingentem gemitum, & sacra ora resoluit.
Nunc lachrymis Virgo, nunc longũ effundere fletum
Tempus adest, prima infandi monumenta doloris
Aspicio, & mortis dira obuersatur imago;
Hic etenim IESVS, summi mens illa Parentis
Hostibus obiecit se, & collo vincula passus,
Cùm dedit ipse doli signum fabricator Iudas,
Ingratæ incepit gentis satiare furorem:
Gethsemani hæc villa, et domini nimis hortus amaræ
Deliciæ, hæc primo tellus tepefacta cruore est,

Cùm posuit mœstos fœdato in puluere vultus,
Et pau.do roseus fluxit de corpore sudor;
Flecte genu, ò Virgo, & Christi illic numen adora,
Flexus vbi requiem petijt, spatiumq; dolori:
Sic facio, sanctæq; simul libo oscula terræ
Multa gemens, mentemq; pijs exercita curis;
Inde datum sectamur iter, iamq; alta tenemus
Montis, & in summa vestigia ponimus arce:
Apparent humiles campi, collesq; propinqui,
Tunc ego sustollens oculos sic orsa profari.
O, mihi qui priscos memoras, dux optime, casus,
Nùm locus hic, summi quo proles vnica Patris
Post varios vitæ casus, obitusq; labores
Ascendens cœlum socios, terrasq; reliquit?
Sic etenim, memini, memorant annalia patrum;
Tùm Pater, Hìc certè, hìc nostræ caput ille salutis
Effugit comitum visus, atque alta petiuit
Sydera nube sedens, hìc annua sacra frequentes
Vere nouo, & priscæ veneramur gaudia lucis
Tùm subitò fulgere polum, mihi crede, quotannis
Vidimus, & rutilo misceri flamine terram,
Nec licuit contrà humanos obtendere visus,
Ardentesq; pati flammas, resonumq; fragorem,
Sed vultum in geminas victi demisimus vlnas:

Nunc

Rub. 8.

Nunc agè fixa solo ascendentis respice Christi
Signa pedum, sanctasq; humilis venerare figuras,
Non longæua illas valuit delere vetustas,
Non sæui potuere hostes abscindere ferro;
Sacra renascuntur semper vestigia eisdem
Fixa locis, & mira notant vestigia casus.
Hæc pater, & sanctas inflexo poplite plantas
Pronus adorauit mecum, diuellimur inde,
Nec mora; de summi vestigia vertice montis
Torquemus, viridesq; vias, syluasq; secamus.
Vallis adest, media in veterem quà tenditur vrbem,
Vallis, vbi quondam cœlesti in nube refulgens
Ipse Deus, cadet ardentis cùm machina mundi,
Impia ad æternas decernet corpora pœnas;
Hic, mihi vt innumeræ deductæ ad Tartara prædæ,
Et subijt mentem miseræ durissima gentis
Condicio, mœsto singultus ore ciere
Incœpi, & tepido conspergere flumine vultum.
Sed monuit Pater, & lachrymantem voce repressit;
Sic etenim Deus, & mundi iustissimus vnus
Mandabit iudex, meritos tunc ibit in ignes
Turba inimica Deo, quæ fas abrumpere vitæ
Humanæ, & cœli voluit rescindere leges,
Nec lachrymis commissa suis, nec voce piauit:

Inde per euersos directo tramite muros
Vadimus, æquatumq; solo Xistumq;, forumq;
Erutaq; aspicio molis monumenta superbæ;
Vnica cui tantùm priscis illæsa ruinis
Scala hæret, quam vnà variæ matresq;, viriq;
Ascendunt genibus nudis, & marmora prensant;
Obstupeo, subitoq; ducem sic alloquor ore.
Quid faciunt, quæ tanta illos ascendere marmor
Cura manet? cui tãtus honos? quod numen adorant?
Tum pater: Antiquis erat hìc habitata Latinis
Alta domus, Syrijs qui gentibus imperitabant;
Pontius hanc coluit iudex sæuissimus ille
Qui fuit, & mortis damnauit crimine IESVM,
Insano veritus Solymorum obstare furori;
Sed perijt disiecta domus, periêre nefandæ
Relliquiæ, vnà, vides, tantùm seruata columna est,
Quæ vinctum tenuit Christum post terga lacertos,
Dum virgis turba horrisonis contunderet artus;
Nec minus exactos scala est seruata per annos,
Quam Deus extremo ascendit bis tempore vitæ,
Dum falsa audiret tractantem crimina gentem,
Insontemq; Deum cuperet dimittere præses:
Ast hi, quos varia cernis de sede profectos
Christicolæ, sancto conspersas sanguine terras

Inuisunt

Inuiſunt, recoluntq; ſui veſtigia Chriſti:
Ergò agè ritè pium, ò Virgo molire laborem,
Da lachrymas ſcalæ ſanctos meditata dolores.
Nec mora; ſic fatus, ſcalæ procumbit ad imum,
Cernuus, inſequimur ſubmiſſo poplite, & vnà
Aggredimur ſuperare gradus, ſtat cura columnam
Amplecti, & largo conſpergere marmora fletu:
Et iam lucis erat finis, iamq; auricomus Sol
Purpurea fluctus vrgebat lampade Iberos;
Tùm Pater, externosq; viros, matresq; vocauit
Ad ſedem, & cunctos anguſta in tecta recepit:
Protinus accedunt, noſtras qui flumine plantas
Chriſtigenæ aſpergunt, & ponunt pocula menſis,
Expediuntq; dapes, quas illi chara miniſtrat
Pauperies optata Deo, gratiſsima cœlo;
Aſt vbi pulſa fames, alta ſe in ſede locauit
Antiſtes, placidoq; ſimul dedit ore loquelas.
Dilecti fratres, & vos, mea cura, ſorores,
Defunctæ innumeris, terræq;, marisq; periclis,
Hactenus horrendis vbi Chriſti cœſa flagellis
Membra, & vbi capiti ſpinarum infixa corona eſt,
Viſaq; ſunt ſœua ingentum monumenta dolorum;
Nunc maiora manent, veniunt ſpectacula mortis
Ante oculos, iam funereum ſpectare licebit

Cal-

Caluarium, & diro confixam robore rupem;
Namq; vbi prima dies nitido consperserit orbem
Lumine, consurgens, adytumq; , arasq; tenebo;
Hinc crucis aggrediemur iter, quod scilicet ipse
Semianimis quondam, & lacerus crudeliter artus
Fecit, & immani cecidit sub pondere ligni.
Vt verò excelsi venietis ad ardua montis,
Inter saxa breuem ostendam telluris hiatum,
Crudelis quo fixa trabes miserabile corpus
Sustulit, æterno sedes durissima Regi,
Vt tres ipse horas pendens tulit omnia Christus
Supplicia, & vitam traiecto è corpore fudit;
Sic vos hîc totidem post facta silentia circùm
Fusi horas, versate Dei morientis amorem
Pectore, & ingentes miseranda in morte dolores
Nec procul inde locus, lignum venerabile cœlo
Quo latet oh dolor, et sanctũ latet vsque sepulchrum:
Omnia quæ, vestras fortè vt peruenit ad aures,
Romani iniecto tumularunt aggere terræ,
Sch. 10. *Et super infandum Veneri erexere sacellum,*
Sic ritus abolere pios, si vellere nomen,
Cui genua inflectunt superi, manesq; hominesq;
Posse rati: ò miseræ gentes, ò pectora cæca.
Vos terram penetrate tamen, celata recludet

Vna

Vna fides, sanctamq; crucem, sanctumq; sepulchrum
Ostendens meliora olim ventura monebit.
Dixerat, & nullus voces ex agmine tanto
Reddebat, tunc ipsa ducem sic alloquor vltro.
O qui magnarum reseras mysteria rerum,
Quando erit illa dies, nigris qua educta cauernis
Humanis spectanda oculis crux alma micabit?
Et poterunt varijs venientes finibus orbis
Soluere securi patefacto vota sepulchro?
Hæc ego, dulcisono contrà sic pectore præsul.
Non dabit ætherea qui cuncta gubernat ab arce
Occultæ vexilla crucis, sanctumq; sepulchrum
E tenebris prodire prius, quàm maxima Roma
Detestata Deos, ritusq;, arasq; nefandas
Veraces imploret opes, & numina Christi
Ritè colens, humili veneretur poplite lignum:
Sch. 11. *Tunc alijs linquens diuisum finibus orbem*
Fæmina per tumidos spumanti aspergine campos
Adueniet, nec vana fides, sic numine pleni
Edixere pij, nec poßunt fallere, vates:
Illa crucem tandem, & Christi venerabile bustum
Eximet è tenebris, altasq; ad sydera moles
Tollet, & ingentes templis imponet honores
Nec tot stridentes glomerata caterua volucres:

Aerios repetunt tractus, & cœrula tranant
Aequora, quot liquidam molem, fluctusq; sonantes
Proscindent alio posita sub cardine gentes,
Vt tandem Solymo religantes littore puppim,
Humida diuino defigant ora sepulchro:
Nunc sæuos inter Reges, populosq; furentes,
Dum ferri desæuit hyems, atque imminet imber
Pœnarum, duris animos assuescere rebus
Est opus, & Christi testari sanguine nomen:
Durate, & res intrepidi expectate secundas.
Sic memorat, dulcemq; iubet captare quietem;
Namq; ferè medium iam nox ascenderat axem.
Ast vbi lux redijt, terris consurgimus omnes,
Effusiq; aras circùm sacro ore canentem
Prosequimur patrem, & solitos celebramus honores:
Hinc vbi ad euersas Romani iudicis ædes,
Marmoreosq; gradus ventũ est, plantasq;, caputq;
Nudamus, sequimurq; ducem, qui præuius antè
Vltima languentes signat vestigia Christi,
Et veteres memorat casus; qui sustinet orbem
Hìc cecidit Deus, hìc illi mestissima panno
Absterfit niueo fœdatum fœmina vultum,
Impressitq; notas, madidum quas sanguine linum
Seruat adhuc, oculosq; Dei demonstrat, & ora:

Iamq;

Iamq; aderat Solymæ quondam extra mœnia collis,
Nunc vrbis pars magna nouæ; mihi tota tremore
Ossa quati, & gelida solui formidine pectus:
Ascendo tamen, & vultus per singula voluens
Cuncta noto; non ausa Ducem pauca facta rogare,
Cùm subitò ille Deo hic fixæ, palmæq;, pedesq;
En locus, exclamat, crux hic erecta sub auras,
Aspicite ò socij, & lachrymarum effundite fluctus.
Est latus, quo fixa trabes, telluris hiatus
Scruposos inter lapides, qui cortice duro
Hoc olim sculptum præportant vndiq; carmen,
Sch. 12. TERrarum in medio populis dedit orbe salutem.
Hic omnes vnà prostrati corpora circùm
Diuino quondam madefactis sanguine saxis
Ora damus, tepidoq; oculorum spargimus imbre
Tellurem, inde altè post facta silentia palmas
Pandimus, atq; Deum precibus, gemituq; vocamus;
Hic mihi transfixi veneror dum numina Christi,
Magna equidem, sed vera loquor; tu maxime testis,
Qui vulgare mihi cœlestia munera mandas,
O Deus, hic, inquam, nati pendentis imago
Visa tui, tunsumq; caput, passiq; lacerti,
Et patulo miserè confossum vulnere pectus:
Hei mihi, nullus erat laniato in corpore vultus,

Non decor, aut species hominis, vix noscere formam
Posse putes: qualis duro contusus aratro
Nigrantem turpis saniem vomit undiq; vermis,
Talis erat; subitò horrenti tremefacta figura
Dirigui, sanguisq; ima ad præcordia fugit,
Nec licuit victos oculos contendere contra;
Mens tamen haud penitus tristi deperdita visu,
Se lacero miscere Deo, exanguesq́; per artus
Effusa optasset sacrum libare cruorem,
Et plagas penetrare cauas, ceu vertice summo
Saxa petit præceps, gratasq; columba cauernas;
Sed moles terrena grauem, & contagia vitæ
Tardarunt, tamen affixa, atque immota manebam,
Nil nisi crudeles agitans intenta dolores,
Quos moriens tulit ipse Deus, cùm tempus eundi
Macarius venisse videns nos surgere iussit:
Excutior veluti somno, non amplius vsquam
Visa Dei facies, tenues quæ, vt fumus in auras
Diffugit, iußi subitò consurgimus omnes,
Nec procul horrendā abrupta inter saxa cauernam
Cernimus, & nigra terram caligine apertam:
Defigo accedens oculos, apparet hiatus
Maximus in præceps, tenebris nec terminus vllus:
Tùm Pater ad cœlum palmas, & lumina tendens,

O ma-

O magis, atq; magis nobis metuenda potestas
Alta Dei, ò magna horribilis miracula casus:
Vt Deus efflauit traiecto è corpore vitam
Proh dolor, insolita texit ferrugine vultus
Sol, oculos terra auertens, domus aurea cœli
Concussa, & vasti tremuerunt mœnia mundi:
Ipsa quoque attonita internum testata dolorem,
Ingenti tellus tremefecit murmure gentes,
Concußitq; vrbes, nutarunt corpore vasto
Disrupti montes, factisq; immane cauernis
Videre infernas mortalia lumina pœnas:
Nec minus hæc magno rupes tunc scissa fragore
Seruat adhuc latam media inter saxa fenestram;
Et dubitant homines cordis mollire rigentis
Duritiem, extremosq; Dei lugere dolores?
Sic fatur, gressusq; mouens telluris aceruum,
Erectamq; super mentiti numinis ædem
Ostendit lachrymis oculos suffusus obortis:
Nos subitò turbati omnes, dolor, iraq; prorsus
Eripiunt mentem, vetiti dum chara sepulchri,
Celatæq; crucis menti renouatur imago.
Ac veluti implumes mœstißima turba volucres,
Pabula, & optatos tarda si nocte parentes
Expectant, laqueis quos callidus abdidit auceps,

Sch. 13.

Dant

Dant auidæ gemitus, & mollia guttura pandunt
Nequicquam, resonat lachrymosis questibus arbor;
Haud aliter sanctāq; crucē, sanctumq; sepulchrum,
Dum cupidis frustrà mœsti conquirimus vnà
Luminibus, querulis complemus vocibus auras;
Caluariæ cautes, & te durissima tellus
In fletus oculos nos absumpisse madentes
Testor, dum tepidas lachrymarū sparsimus vndas,
Vestra vt si humano posset mollescere fletu
Durities, nostris lachrymis mollita negatos
Marmora in amplexus tandem, lignumq; dedisset.
Sed tales inter gemitus, sparsasq; querelas
Occiduas iam prona dies properabat ad oras,
Consurgit Pater, & verbis solatur amicis:
Inde iter ingreditur, breuior quà semita ad arces,
Culminaq; excelsi olim decantata Syonis
Ducit, vbi senior vultu lætissimus Hermon
Excipit angustis thalamis, & paupere tecto:
Hic ego non inuita tribus detenta diebus
Plurima, quæ semper memori mihi mente manebunt
Percepi, sacro dum sedula ab ore pependi;
Ast vbi quarta dies lucem mortalibus ægris
Attulit, aduoluor genibus, dextramq; prehendo
Præsulis, & sacras ædes, montemq; relinquo,

Stat

Stat fines penetrare alios, vrbemq; videre
Nazaren, superis lustrataq; tecta choreis,
Sch. 24. Nec mora; palmiferos colles, camposq; peragro
Sammarios, paruamq; Sichen, magnamq; Sebasten
Deuenio, vestri dictam de nomine Regis.
Hìc humilis magni cineres venerata Batistæ
Infernos circùm manes vlulare sepulcrum
Sch. 15. In moremq; homines vidi latrare luporum;
Inde Nain, murosq; Sunæ, & fines Galilæos
Ingressa, agnoui gentis monumenta vetustæ,
Et loca quæ sacro celebrarunt carmine vates:
Vt verò alta Tabor longè fastigia vidi
Carmeli valles, Cisonq; emensa fluentem,
Tùm simul optatam summis in collibus vrbem
Aspicio, turresq; procul, murosq; saluto.
Ast vbi saxoso superaui culmina montis,
Intrauiq; vrbem sacros studiosa penates,
Et sacrum exquiro thalamum, quo maxima Virgo,
AEterno dilecta patri sine labe pudoris,
Diuinam puro concepit pectore prolem.
Sed mihi nullus erat charas qui ostenderet ædes;
Errabamq; vijs, subitò cum venit ad aures
Pulsantum cytharas sonitus, plaususq; canentum,
Auditæq; nihil voces mortale sonantes:

Auri-

Auribus insisto arrectis, stupefacta requirens
Quid sonitus, cantusq; ferant, mihi ianua tecti
Cum subitò exigui patuit, (mirabile visu)
Ingredior, nullumq; videns penetralia parua
Quærebam interiora domus, sed flamma per auras
Didita, cœlesti perlustrans igne penates,
Lumina perstrinxit, gressusq; repressit euntis;
Tùm verò manifesta domus, sanctiq; recessus,
Quos dilecta Deo Virgo intemerata colebat:
Ergo alacri exultans animo, vultumq;, manusq;
Attollens, oculis salue, domus aurea, nostris
Optata, & vos, ò muri, saluete beati.
Vos egone aspicio, sacrisq; affigere saxis
Ora licet, largoq; solum conspergere fletu?
Non tamen ingrediar thalamũ, & penetrale repostũ,
Pura vbi diuino tumuerunt viscera Verbo
Virginis, haud tanta humanæ fiducia menti;
Sed muros extra sacros, limenq; coruscum
Ambrosias superùm voces, plaususq; canoros
Accipiam, & thalamũ lachrymis venerabor obortis.
Talia dicenti rutilas nitor ecce per auras
Apparet, fulgentq; nouis penetralia flammis:
Tùm superis inflexa modis vox fertur ad aures,
NVLLI, Virgo, nefas ædem tentare piorum

Absistant

Absistant, queis sacra caput non abluit unda;
Ingredere, & magnæ numen genitricis adora.
Dixerat, ipsa tremens, mirisq; exterrita visis,
Arripio subitò limen, comitesq; sequuntur:
Hîc primùm gelidus nobis circundedit artus
Horror, & arrecti tremefacta in fronte capilli.
Ast vbi quæ quondam angusta Deus æde peregit,
Et subijt mentem intactæ clementia matris,
Frigida paulatim decessit cura trementi
Pectore, & in venas cœlestis diditus ardor
Insolita molles sparsit dulcedine sensus.
Ergo arrectæ animos ad cœlum tendere palmas,
Auxilioq; vocare Deum, matremq; benignam:
Ingeminant superi cantus, linguisq; canoris
Aeterni celebrant ingentia facta Tonantis,
Demissam cœlo sobolem, illæsumq; pudorem
Virginis, ereptosq; homines è faucibus Orci:
Ipsa ardens animi, plausuq; excita sonoro
Ausa loqui, & tales expromere voce loquelas.
Dicitæ cœlicolæ, regni decora alta beati,
Qui sacrum colitis thalamum, ac defenditis armis,
Vestràne venturis semper custodia lustris
Durabit, seròq; plagas repetetis olympi?
An potius Galilæa Dei confessa parentem,

Bisq; Deum genitum sanctam venerabitur ædem,
Sacraq; procumbent longinquæ ad limina gentes?
Hæc ego, vox iterum contra sic lapsa per auras.
Exue Virgo metus, ponet Galilæa profanos
Iam ritus, veriq; Dei tunc iussa facesset,
Grata Palestinæ veniet cùm fœmina genti,
Qua duce Iordanis properent ad littora turbæ
Innumeræ, & sacro conspergant flumine frontem:
Virginis illa sacram templo circundabit ædem
Marmoreo, & summis ponet laquearia tectis
Aurea, nos alti sedem repetemus Olympi:
Ast vbi Idumæas latè bacchata per oras
Auertet scelerata pios discordia ritus,
NVLLA mora in superis, elapsi protinus alto
Aethere diuinis thalamum tutabimur hastis.
Si verò insistant Solymi, cæciq; furore,
Sacra profanatis detrudant semper ab aris,
Cœlestem, ò gentes miseræ, asportabimus ædem,
Sic illi placitum, æternis qui cuncta gubernat
Imperijs, fugiet liquidas agitata per vndas
Sancta domus tumidi sternens vada cœrula ponti;
Nos, super effusi brumali tempore quales
Alcyones stabili verrunt placida æquora nido,
Diuersos vnà populos, terrasq; petemus,

Vt

Vt verò Adriacosq; ſinus & littora tandem
Venerit Italiæ ſecura in ſede quietem
Accipiet, dulcemq; feret domus alma ſalutem,
Diuinum incutiens populis per pectora amorem.
Audiet humanas Virgo placidiſsima voces,
Dum ſacra ſubmiſsi venient ad limina Reges,
Auxiliumq; feret, fugient morbiq; luesq;
Corporibus, fugiet tenebras detruſa ſub imas
Impia gens Erebi, terrasq; hominesq; relinquet,
Et furor, & luctus ſimul, & diſcordia triſtis:
Vna fides, niueiſq; fouens lætiſsima pennis
Relligio populos tranquilla in pace vigebit.
Talibus æthereos dulcis vox ſparſa per ignes
Alta renarrabat magni decreta Parentis;
Ipſa audita inter ſonitus, flammasq; micantes
Mente agitans, Solymûm ſortē miſerabar acerbam,
Cœleſtisq; domus ſeros lætabar honores;
Immemor inde mei, flammisq; intenta canoris
Explebam patulas lætis concentibus aures,
Nec mentem mihi cura viæ, reditusue ſubibat;
Cum ſeſe humano oſtendens nitidiſsimus ore
Ambroſiumq; leui diffundens vertice odorem
Aliger admonuit ſacris me excedere muris,
Niliacosq; ſinus, patriosq; reuiſere fines,

Nec mora, cœlestes linquens inuita fragores
Per medias Galilææ vrbes, populosq; propinquos
Contendens, portus tandem, Ioppemq; capesso:
Hîc ingressa ratem, nobis quæ se obtulit vltrò
Vela dare, & iubeo remos tractare sorores:
Tu me verrentem fluctus, pelagoq; volantem
Excipis, & rerum poscis miracula Cæsar:
Omnia quæ exposui, nunc facto fine silesco.

D· CATHARINAE MARTYRIS

LIBER TERTIVS.

TALIBVS illa oculos cœlesti asper-
sa nitore
Visa recensebat Solymas arcana
per oras;
Tùm verò astantum diuersus di-
ditur ardor
In partes, subeunt varij præcordia motus:
Pars animi haud potis occultum celare dolorem,
Impia dum chari renouantur fata magistri,
Commaculare genas lachrymis, gemitusq; ciere;
Pars obstare magis, rigidosq; obtendere sensus
Virginis affatus, sanctumq; exosa laborem:
Sic radios cœlo cùm Sol iaculatur ab alto,

Hic

Hìc niuis ìn latices moles liquefacta fluentes
Soluitur, hìc contra magis, & magis indurescit
Humenti nuper madefacta aspergine tellus;
Ipse renarratos ardenti pectore casus
Visa nec humanæ versat monumenta salutis,
Dulcia sed tantùm meditatur verba tyrannus
Immotus, tacitumq; auget vesanus amorem,
Et fors rursus iter, variosq; reuoluere casus
Posceret, & nitido intentus penderet ab ore;
Sed iam purpureo fines tangebat Iberos
Sol curru, cœliq; extrema in parte iugales
Lambebant tremulum linguis fumantibus æquor.
Protinus vmbrosis assurgunt sedibus omnes,
Inde vias adeunt alias, longosq; recessus,
Quà texti virides buxi curuantur in arcus
Solibus aduersi æstiuis, quà gramina fontes
Mobilibus lambunt riuis, & dædala tellus
Suggerit innumeros nullo non tempore flores.
Vt verò rediere domum, conuiuia rursus
Læta ineunt, textoq; super discumbitur auro,
Stat puerùm glomerata manus, mensasq; superbas
Ambrosijs onerant epulis, & vina reponunt.
Diuinæ interea defixus lumina formæ,
Rex ardet, dum multa rogat, dum immobilis audit,

Nec

Nec potis est sera decedere perditus hora,
Sed longo tandem requiẽ CATHARINA labori
Fessa petit, turbaq; vnà comitante suarum,
Concessos repetit thalamos, placidissimus illi
Somnus vbi aspirans teneros amplectitur artus.
Ast vbi luce noua conspersit postera terras
Orta dies, stratis surgit CATHARINA relictis
Et reliquum molitur iter, stat cura piorum
Amplecti dextras, atque ora videre verendi
Præsulis, & dulces monitus audire loquentis.
Ergò vbi se thalamo tandem Maxentius alto
Proripuit, Virgo venienti talia fatur.
Hospitio dignata tuo Rex maxime regum
Discedam, notasq; domos, gentemq; reuisam
Dilectam; nec cana maris rate marmora verram,
Sed Nili ingrediar ripas, fluctusq; secabo.
Dixerat, ille iter haud ausus tardare petentis
Annuit, & casus quæsiuit mente futuros.
Est locus incuruis statio secura phaselis,
Nilus vbi pingui regales flumine muros
Alluit, hùc Virgo comitum stipante caterua
Descendit, soluiq; ratum retinacula iussit:
Nec mora, per binos manus impolluta phaselos
Diditur, & tepidis præceps elabitur vndis

Tùm

Tùm fluctus stagni in morem strauisse tumentes
Diceris, ingentum ò flumen generator aquarum,
Fœmineæ vt contra possent contendere dextræ:
Nec mirum secreta tibi si cognita cœli,
Quandoquidem æthereo ducis cunabula mundo;
Ipsa alta Catharina sedens lætissima puppi
Cœlestes meditatur opes, quas aduena terras
Lustrarit, pelagi quantis, terræq; periclis
Erepta ad patrios redeat secura penates;
Quòq; magis tales agitat sub pectore curas
Fixa polo, ingentemq; Dei miratur amorem,
Suscitat æthereos teneris magis ossibus ignes;
Iamq; loco vix stare potest, vix feruida flammas
Corde capit, qualis compage inclusus ahena
Amnis feruet aquæ, nec se iam continet altè
Exuperans, flamma ardorem supposta ministrat.
Ergo vbi diuinas insueto ardore liquescens,
Pectore concepit flammas totisq; medullis,
Ad cœlum tendens oculos sic ora resoluit.
Muneribus cumulata tuis, Deus optime, terras
Ingredior Pharias, patriamq; vrbemque reuiso;
Tu me per Siriæ campos, per lustra ferarum
Inuia, per diros hostes, scopulosq; minantes
Oceani incolumen seruas, charasq; sorores

Te duce dura tui licuit cunabula nati
Cernere, & humanæ sæua instrumenta salutis,
Diuino & vidi madefactas sanguine cautes,
Pro quibus, ò pater, ò vasti moderator olympi
Fœmina quid referam? quid non ingrata rependam?
Regalis potuit contemnere stripis amorem
Susanna, & sæuos subijt lætissima fasces.
Accepit tenero sceleratum gutture ferrum
Principis haud Agnes thalamos dignata superbos;
Vtraq; Virgo tamen; venit in præcordia virtus
Virginibus generosa virûm, non arma feroci
Contrectant dextra, aut horrentia prælia miscent;
At superare feros constanti pectore Reges,
Et parere æternam possunt de funere palmam:
Sic tibi sic placitum, tu animum, viresq; puellis,
O Deus inspirans in prælia mittis inermes.
O me fœlicem, pro relligione tuorum
Spargere si liceat crudeli funere vitam,
Hoc precor, effuso saturata cruore quiescam.
Talibus orabat Virgo, nitidoq; rigabat
Imbre genas; Sociæ interea nigrantia Nili
Aeratis pronæ verrebant æquora palmis;
Sicq; diem, & somni totam sine munere noctem
Aequatis vnà per opaca silentia rostris

Impulerant fluctus, roseoq; à margine cœli
Exurgens, stellas, tenebrasq; Aurora fugabat.
Cùm patrias subitò turres magnoq; tyranni
Aemathij aspiciunt dictos de nomine muros:
Exoritur subitò clamor, lætusq; per auras
It sonitus, charos ardentes tangere portus
Insolito adnixæ contorquent impete remos.
Interea secreta domus, templumq; tenebat
Antistes Petrus, Tyriaq; in veste refulgens.
Solemnes de more preces fundebat ad aras:
Olli Christigenum submisso poplite circum
Stat turba, & mœsto suspiria corde trahentes
Casibus auxilium diuinum instantibus orant.
Ecce autem dum sancta pater mysteria tractat
Nil animo mortale putans (ò dona potentis
Indubitata Dei) ante oculos CATHARINA re-
Visa senis, parua ad littus decurrere cymba, (pente
Et portus penetrare cauos; exterritus ille
Obstupuit visis primùm, atq; immobilis hæsit:
Inde animum arrectus, vultumq; ad sydera tollens,
Quas potuit tacito grates lætissimus egit
Corde Deo, lachrymisq; genas inspersit obortis:
Ast vbi se exoluit sacris, & cuncta peregit
Conuersus tales effudit pectore voces.

Audi-

Audiuit vestras alto Deus æthere voces,
O socij, Virgo vobis optata per vndas
Aduenit, exiguo nunc nunc vidi ipse phaselo
Niliacas verrentem vndas, portusq; tenentem;
Iamq; aderit, quis nunc vulgata edicta per vrbem
Horreat, & Pharij curet tormenta tyranni?
Vix hæc, & subito concors ad sydera clamor
Ingeminat, læto resonant sacra atria plausu,
Horrisoni veluti pelagi perpessa furorem
Fessa cohors, malo si quis speculatus ab alto
Nunciet aerios tandem se cernere montes,
Vocibus exclamat lætis, terramq; salutat;
Iamq; vnà ad portus ruerent, & littora Nili,
Cernere diuinos vultus, nitidumq; decorem
Ardentes, sed iam magnis comitata cateruis
Virgo aderat, lætosq; oculis vibrabat honores:
Vt venit, sanctumq; senem, vultusq; verendos
Aspexit, complexa pedes dedit oscula dextræ;
Ille humilem adnixus tremulis attollere palmis
Incipit illacrymans. Non te purissima Virgo
Humanæ reuehunt vires, non flamina paruam
Deduxere ratem, aut vis remorum acta per vndas,
Maior te certè longinqua per æquora virtus
Detulit, auxiliumq; suis miserata remisit

Cura Dei, O mira antiquæ virtutis imago
Christiadæ columen gentis spes vna meorum,
Vt nobis optata venis, quo turbine rerum
Iactemur, quæ dira paret tormenta tyrannus
Iam disce, & fluxis rebus succurre tuorum:
Te paudi exoptant populi, tu posceris vna
Virgo caput, tecum possunt se offerre periclis,
Nec dubitant vnà crudeli occurrere morti,
Dixerat antistes; tum sic CATHARINA profa-
Nulla mihi venerandè senex inopina dolorum (tur.
Adueniet species, animo iam cuncta reuolui
Tormenta, inuitæ haud veniet de corpore sanguis;
Iamq; peto infandis primam me opponere iussis,
Dirigat ille Deus per cœpta audacia gressus
Fœmineos, sanctoq; obfirmet numine pectus,
Qui parua inuectam per saxa sonantia cymba
Ad patria insolito perduxit littora cursu.
Hæc Virgo, Quid non magni immutare Tonantis
Dextra vales? tibi nulla hominũ obdurata resistunt
Pectora, tu gelida soluis formidine mentes.
Stabant attonitæ circum matresq; viriq;
Innumeri, ardentesq; oculos, & verba notabant,
Cùm tacitè cunctis cœlestis flamma per artus
Diditur incenditq; animos, & suscitat iras,

Iamq;

Iamq; omnes vnà templis exire repostis
Pœnarum immemores optant, Christumq; fateri;
Illi præcipuè, vitæ qui nuper amore
Degeneri trepidare metu, quibus aspera imago
Supplicij, expectant hilares certaminis horam,
Oderuntq; moram, & mortis genus omne reposcunt.
Multi præterea rerum nouitate repressi,
Non ausi prodire prius, proprijsq; latentes
Aedibus, audito Catharinæ nomine, Petri
Tecta adeunt, & sancta manus in fœdera iungunt:
In medio antistes nunc hos, nunc excipit illos,
Apprenditq; manu, dictisq; hortatur amicis.
Este uiri, reuocate animum, Deus ipse periclis
Eximet incolumes, aut cœli in sede locabit
Defunctos vita, & pœnarum turbine mersos:
Nec datur ad superas breuior, mihi credite, sedes,
Quàm quæ purpureo domini signata cruore
Per mortem, & diras deducit semita pœnas;
Illic Rex superùm stabili decorabit honore
Fœlices animas, æternaq; præmia ponet.
Talibus ardenti senior lætissimus ore
Christicolùm placidis stimulabat pectora dictis.
Interea pelagi ripis, villaq; relicta
Rex alta in puppi properè tendebat ad vrbem,

Nigraq;

Nigraq; vel feri celabant æquora currus;
Quòq; magis superat fluctus, vrbiq; propinquat,
Stridentes animo curæ, & spinosa grauescit
Pœna magis, vulnusq; timor confusus acerbat;
Impia dumq; animo reuocare edicta volutat
Anxius, occurrunt sæui mandata parentis,
Regiaq; imperij hærentem inuiolabilis vrget
Maiestas: sed iam velis delata secundis
Littora tangebat claßis, portusq; tenebat,
Hic simul aduersas vidit Maxentius arces,
Inueniet fortuna viam, fata aspera iuro,
Aut ventura dies miseræ solatia vitæ
Afferet, aut multo madefiet sanguine tellus,
Dixit, & è puppi in nigras descendit arenas
Præcipiti saltu, procerumq; sequente caterua
Fertur in alta domus, gemitus vbi Regia coniux
Integrat, & curæ haud grato respondet amore,
Postera iamq; dies cœlo diffusa patenti
Sparserat excelsas radianti lumine rupes,
Continuò innumeræ populùm concurrere turbæ
Incipiunt, mixti pariter matresq; viriq;
Præ se dona ferunt, hi vrbis tecta alta relinquunt,
Stagnantes alij campos, & rura coloni;
Gens fœlix, non illa imbris, cœliq; sereni

Indiga,

Endiga, sed fluuij tantùm crescentibus vndis
Aspersas consueta suas proscindere glebas,
Bisq; domum plenis messem deducere plaustris.
Alta fuit priscis moles erecta sub annis
Regis opus, centum nitidis subnixa columnis,
Abdita vbi innumeris quondam cælata figuris
Cernere adhuc licet antiquæ mysteria gentis:
Concilium hîc magnum, patresque vocare togatos,
Et soliti Reges olim, dum sceptra manebant,
Legatos pacem populis audire petentes;
Dijs patrijs sacræ sedes, quibus omnis Osyrim
Gens, atq; Inachiæ, signum venerata iuuencæ
Solemnem, vt perhibent, pompam ducebat ad aras:
Sed postquam Ausonias agnouit victa secures,
Dij patrij cessere Ioui, Iouis aurea templo
In medio effigies talis supereminet altè,
Qualis Romulea ciues sublimis in arce
Despicit ornantes claris delubra trophæis:
Hûc igitur confusa senum, iuuenumq; subibat
Turba ingens, vanoq; Ioui dona ampla ferebat:
Ipse moræ impatiens, diraq; cupidine feruens
Infremit, & circum Catharinæ cursitat ædes
Antiochus, qualis caulas percurrit ouilis
Impastus sub nocte lupus, vel sæua Tonantis

Desu-

Desuper aut leporem, aut cygnum circumspicit ales,
Quos rapiat, nidisq; ferat stridentibus escam,
Nec minus innumeris circum comitantibus armis,
Insignis sceptro, & Tyrio spectabilis ostro
Rex ibat, Pharij proceres, patresq; sequuntur
Ausonij, & longum pompæ comitantur honorem.
Vt templum tenuere omnes, Rex primus ad aras
Procubuit, palmasq; Ioui cum voce tetendit.
Accipe submissæ cœlo, pater optime, ab alto
Obsequium gentis, populosq; in fœdera firma;
Impius at si quis sanctas accedere ad aras
Abnegat, imperiumq; tuum, & mea iussa recusat,
Sterne solo, & nigras Erebi disperge per vmbras.
Sic ait, & solio surgens sublimis eburno
Considet, vnde omnes aris dona ampla ferentes
Aspicere, & varias possit dignoscere gentes:
Sed non innumeras venientes ordine gentes
Non pompas, non ille Deûm miratur honorem,
Nil animo curans: auidis tu posceris vna
Virgo oculis, anceps tanto quid turbine rerum,
Iactata incipias, toto ex te pectore pendet.
Ecce autem, tales agitat dum pectore curas
Stipante ingenti Catharinam accedere turba
Fama refert, stupet audito Rex nomine primùm,

Mox

Mox animo exultans, ac spe percussus inani
Incipit infixum depellere corde timorem:
Illa autem impauido vultus aspersa pudore,
Per medios ibat populos, non arma tyranni,
Non mortem metuens: qualis tela aspera contra,
Aut aper, aut nido, & catulis moritura relictis
Irruit vrsa ferox, & se venantibus offert;
Illius æquali seruat vestigia gressu
Antistes, sequitur gentis longissimus ordo;
Omnes Christigenæ vanos contemnere Diuos,
Omnes & mortem, pœnasq; subire parati.
Ventum erat ad templi limen, portasq; superbas
Ingreditur Virgo, primaq; in sede ministros,
Qui populum chartis venientum nomina mandant
Spernit & incedens cunctis spectabilis vna,
Non patres populumq; duces Regemq; salutat;
Sed medijs elapsa viris consistit ad aras
Fumantes, altoq; audax sic intonat ore.
Si Pharijs olim cunctis cecidistis ab aris,
Paruulus Aegypti venit cum verus ad oras
Ipse DEVS, similem rursus renouate ruinam;
Sic ego per summi nomen venerabile IESVS
Quod cœlum, quod terra tremit, manesq; profundi
Perq; Dei illius iubeo inuiolabile numen,

Qui nos ab nimium decepta credita genti
Numina Tartareis æternum habitare coegit
Sedibus, & scelerum meritas expendere pœnas.
Finierat Virgo: Templi intremuere repente
Mœnia, & ingenti tellus concussa fragore est;
Qualis aquæ interno, aut ventorum mota tumultu
Exagitare solet magnas cum ciuibus vrbes;
Tùm verò alta Iouis subito simulacra tremore
Concita præcipiti terram petiere ruina,
Effigiesq; aliæ, genus execrabile Diuûm
Percußere solum, varias, mirabile dictu,
Dissectæ in partes duro de marmore quamuis:
Protinus horrenti cunctis formidine pectus
Soluitur, arrecti crines, pars vertere raptim
Examines terga, & notis se condere tectis,
Pars immota diu miris conterrita visis
Consilium in tanto nullum captare tremore.
Vndiq; fit gemitus, prensant altaria matres
Exangues, altaq; Deos cum voce cadentes
Implorant, fremit horrisonis stridoribus ædes:
At CATHARINA pedem, vt tanti miracula (casus
Conspexit retrò summo cum patre repressit:
Læta erat, & flammis oculos cœlestibus ira
Sparserat, ac fronti insolitos adflarat honores,

Forsitan

Forsitan eximio talem sudore madentem
Depositis fulsisse armis antiqua vetustas
Diceret Hyppoliten, superis sed nostra referre
Non licet, humanas dicas nigrescere flammas,
Si veros cœli liceat spectare nitores,
Illam marmoreo referentem è limine gressus,
Christiadum turma armatos elapsa per hostes
Insequitur, mussant patres, regisq; ministri
Dant spatiũ, incedit mediam Catharina per vrbem,
Qualis agat victrix inimica è gente triumphos;
Ast vbi regalis peruentum ad limina sedis
Ingreditur penetrale domus, magnosq; recessus,
Petrus vbi vt gentem videt impleuisse penates
Innumeram, ante aras lætus pleno intonat ore.
Ni Deus auxilio cœlo venisset ab alto,
Quæ mala, veh miseris; Illi alta voce sequuntur:
Ni Deus auxilio cœlo venisset ab alto
Forsitam immani gens obcœcata furore
Glutisset viuos; sæui superauimus vndas
Torrentis, liberq; animus spatiatur aperto
Aethere, qualis auis venantum diffugit artes.
Vincula rupisti, ò cœli terræq; creator,
Magne Deus, custos hominum, tibi gloria semper
O pater, ò nate æqueui genitoris imago,

Et tibi, qui æternis unà, terrasq;, fretumq;
Spiritus imperijs per sæcula cuncta gubernas.
Talia Christiadæ sacri intra mœnia templi
Dum recolunt, Rex successu commotus acerbo
Curarum ingentes agitabat pectore fluctus:
Stant circum proceres, aliosq; acerrimus antè
Antiochus, magicas damnantes Virginis artes,
Et pœnas (immane scelus) debere merentes
Pendere conclamant: solio intractabilis alto
Ille sedet, dubiumq; animum per singula voluit;
Inde domum repetit, thalamoq; reconditur vnus
Anxius, ardenti strident in pectore curæ:
Tandem consilio vultus, oculosq; serenans
Reginæ apprendit dextram, placidusq; profatur.
Iamdudum exortã Faustina extinguere flammam
Mente agito, & tantos meditor sedare tumultus,
Nec sæuire velim, nec habet victoria nomen
Fœminea; at contra patres, Pharijq;, Latiniq;
Instimulant, pœnasq; Deûm violata reposcunt
Numina; tu nunc consilijs, dulcissima coniux,
Auxiliare meis; etenim tibi fœdere sensus
Illa animi, & dulces conferre assueta loquelas
Cogere præstantes studijs, atq; arte Mineruæ
Decreui, queis nota Deûm, virtusq;, genusq;

Relli-

Relligioq; patrum priscis seruata sub annis;
Accedat Catharina suum, tu flecte precando,
Defensura Deum, non illi copia fandi,
Viuida nec virtus pollenti in pectore desit:
Si superata virùm cedet sapientia lingua
Virgineæ, Solymoq; Deo concedet honorem,
Effugiet pœnas Virgo, atq; impune licebit
Effigies aris nostrûm exturbasse Deorum:
Sin autem Catharina Deos, vt credere dignum est,
Frœnare æthereos agnoscet legibus orbes,
Resq; hominum regere imperio, terrasq; patentes,
In melius referet mentem, summiq; Tonantis
Spargere muneribus supplex dignabitur aras.
Dixerat; illa dolos, artesq; agnoscere amantis
Dissimulans, notas raptim properabat ad ædes:
Quàm simul ac magna Catharina accedere pompa
Audiuit, placido occurrens sic incipit ore.
Tùne humiles dignata meos Regina penates
Huc ades, ò rerum spes, & tutela mearum?
Aduenio Catharina tibi gratissima Virgo,
O vtinam sæuis liceat te arcere periclis,
Sic fatur, prersamq; manu intra limina ducit
Interiora domus, nitidis vbi sedibus artus
Vt flexere, prior sic est Regina loquuta.

Si quos excieris fluctus, quæ dira reposcant
Supplicia irati patres CATHARINA videres,
Quæ me ferre iubet tibi nunc Maxentius ipse
Efficies mandata, nec auersaberis illi,
Qui tantas sedare iras, & tollere flammam
Nascentem cupiens, teneræq; ignoscere formæ
Pacem orat; non ille armis, non sanguine Diuûm
Vlcisci simulacra volens, sed cogere claros
Eloquio, studijsq; viros, queis cognita virtus
Magna Deûm, ritusq; sacri, & veneranda priorum
Relligio patrum antiquos seruata per annos.
Tu venias, Rex ipse rogat, Diuumq; tuere
Qui quondam, vt perhibes, melioris conditor æui,
Antiquas hominum instaurauit morte ruinas,
Nunc immortalis summo dominatur olympo:
Si dabitur superare viros, si copia fandi,
Quiq; tuo manant sapienti è pectore rores
Præstabunt, Solymo vt cedat victoria Christo,
Deponent patres iras, placidiq; quiescent;
Sin nostros edocta Deos frœnare potenti
Imperio agnosces terras, fluctusq; sonantes,
Et cœlo regnare Iouem, non amplius aras,
Non templa audebis magicis tentare susurris,
Sed supplex vnà summos venerabere Diuos

Ergo

Ergo agè consilÿs, quæ do, pulcherrima, parens
Da pacem populis, leges, & fœdera iungant
Vt animes ciues, tristem discordia finem
Semper habet, nec supplicÿs, nec sanguine gaudet,
Quisquis cælesti Deus est qui præsidet arci.
Finierat, tum imo gemitus dans pectore Virgo,
Sic contra, O miseræ gentes, ò pectora dura,
Quo pater omnipotens dextra dat signa potentis
Clara magis, vestrosq; Deos eludit, & aras;
Vos contrà auersis animis duroq; rigetis
Corde magis, veriq; Dei cælestia dona
Impia fallentis linguæ portenta vocatis:
Altitonans certe numen, dominator olympi
Iuppiter, humanæ metuenda potentia genti,
Quem magicæ mouere artes, cui fœmina nuper,
Quam populi effigiem sub misso poplite adorant,
Ad terram breuibus potuit dispergere dictis,
Nec pœnas dedit emeritas; decurret ad iras
Rex tuus, ingentes possum tolerare dolores,
Nil timeo, cælum dira dum morte paciscar;
Atque equidem si sponte mea importuna petissem
Templa Iouis, forsan dictis insurgere posses,
Sin Regis me egere minæ, & crudelia iussa,
Cur me turbantem populos, rixasq; cientem

Arguis,

Arguis, & vanis agitas non iusta querelis?
Congressũ haud tamen effugiam, veniamq; potentis
Auxilio confisa Dei, non viribus vllis;
Tantus amor cæcis animis auertere fraudes:
Præsulis at nutu iampridem degere vitam
Decreui, ille animos regit, & moderatur habenas.
Hæc effata senem acciri è penetralibus altis
Imperat: ille trhaens tardo vestigia gressu
Vt venit, iussusq; inflexit membra sedili,
Reginam & summi audiuit mandata Tyranni,
Nec mora, dulci sono voces sic reddidit ore.
O Regum soboles magno coniuncta marito,
Qui regit Eoum Romanis legibus orbem;
O vtinam transacta breuis post tempora vitæ
Vt regis in terra populos, domineris olympo,
Sydereo incingens nitidos diademate crines,
Sed timeo ne corda Dei obdurata resistant
Vocibus, ac veræ renuas documenta salutis;
Crudeli nostram voluistis perdere gentem
Edicto, pœnæ immanes cædesq; paratæ,
Cùm fines procul Assyrios, spes certa meorum,
Christigenæ columen populi Catharina teneret:
Ecce illam extremo Galileæ è margine terræ
Per saltus, per saxa Deus, pelagiq; tumentes

Addu-

Adducit fluctus, Pharioq; in littore sistit:
Tu cymbam humano vidisti haud robore textam,
Sed supero fulgentem auro, flammasq; vomentem,
Nec miranda Dei voluisti agnoscere facta.
Quid sancti nuper series audita laboris,
Profuit, & Solymis exhausta pericula terris?
Nunc etiam, vt Catharina Iouis fumantia venit
Ad templa, & voces alto de pectore fudit
Subcussa est subito tellus, tremuere columnæ
Immanes, signa ad terram cecidere Deorum:
Tu verba, & voces audisti Virginis altè,
Cum Dijs, vt ruerent à sedibus, imperitaret:
Omnia quæ spernis miserè obcœcata furore,
Irritasq; Deum rursus, temeraria poscens
Naturam illius Catharinam expandere dictis:
Egregium certè pugnæ genus, vna virorum
Fœmina qua debet multorum occurrere turmæ,
Haud tamen effugiet pugnam, non indiga nostræ
Relligio æloquio; pueri, teneræq; puellæ
Ore queunt puro diuinas promere laudes,
Non quas humana impellit sapientia linguas.
Tu Regina mihi longo iucundior æuo,
Si Deus ille pater semper, custosq; suorum
Annuat, vt nostræ cedat victoria parti,

M Vt

Vt spero, atque illum supplex in vota vocabo;
Per siqua æternæ tangit te cura salutis,
Per dextramq; tuam lachrymans te obtestor, & oro,
Cede Deo, & ritus tandem dimitte nefandos.
Talibus orantẽ, & lachrymis cana ora rigantem
Immotis iamdudum oculis intenta tuetur
Faustina, ingentesq; premit sub pectore curas;
Tum sic orsa refert. Non me miranda negabo
Vidisse, aut vnquam contempsi numina Christi,
Tu testis Catharina mihi; sed linquere Diuos,
Quos Rex ipse colit, prisci coluere parentes,
Maxima quos Roma, & populi venerantur Eoi,
O pater, haud facile est, & mens auersa repugnat.
Sed veniat Virgo: dabis, ò, dignoscere verum,
Quisquis es, humanas nescis qui fallere mentes.
Sic fatur, vultusq; rosis aspergit obortis,
Demittitq; oculos: sed iam fumantia colla
Occiduo soluebat equis in littore Titan;
Digreditur Faustina domum, regemq; reuisit,
Qui simul optatam Chatharinã admittere pugnam
Accipit, exultans, & spe correptus inani
Insperata hylari declarat gaudia fronte;
Impatiensq; moræ, tempus secum ipse, virosq;
Eligit, & fidis subitò mandata ministris

Impe-

Imperat: effusi tectis regalibus illi
Ardenti properant studio, & præcepta facessunt.

D. CATHARINAE MARTYRIS

LIBER QVARTVS.

FAMA noui interea volitans prænuntia pacti
Commotam implerat veris rumoribus vrbem:
Tùm verò turbati omnes, & pectora vulgi
Concussa, arrectæq; animis ardentibus iræ,
Dum quisq; ante oculos versat mandata tyranni
Impia, & insontis casum miseratur iniquum
Virginis; egregijs etenim quì fœmina tantis
Vna viris obstare queat, causamq; tueri?
Non tamen, aut causæ, vel relligionis amorem
Corde premunt, nimium sed Virgo oppressa verentur

Obdurata.

Obdurata tamen, Regem compellat ad iras.
At pia Christigenum nullo externata timore
Turba ingens optare diem, & certaminis horam
Fisa Deo; redeunt animo notissima virtus
Reginæ, & sancti solers custodia patris:
Ipsæ præcipuè matres, teneræq; puellæ
Templa adeunt, tenduntq; manus cum voce supinas.
Virgo decus cœli, humanæ spes vnicæ gentis
Huc oculos inflecte pios, res Diua tuorum
Aspice, & immanis vires contunde tyranni.
Parte alia delecta virùm, doctissima turba
Conueniunt, iussamq; auidi committere pugnam
In studia incumbunt; Solymorum antiqua leguntur
Scripta patrum, & gentis memoratur origo vetustæ,
Nec virtute super tantùm, famaq; mouentur
Virginis, at magis ardentis præsentia Regis
Instimulat, sæuisq; animos assultibus vrget.
Nec iuuenes aliter, raræ quos gratia formæ,
Aut ingens dotalis ager coniunxit amantes,
Sic placitæ certare parant ante ora puellæ,
Quò veniant spectandi habitu, qui vultus & ora,
Incessusq; pedum, & radiantis forma iuuentæ,
Exquirunt, fugat ex oculis cura anxia noctem.
Quinquaginta aderant sapienti pectore patres

Sacra

Sacra dare, & soliti populis aperire Deorum
Consilia; ante alios sed tres virtute verendi
Effulgent magis, atq; alios ad prælia ducunt.
Primus in Aetruscis generatus Alamnius oris,
Insignis lituo, tenet vnde Alamannia nomen
Egregijs gens clara viris, & Apollinis arte:
Non illo quisquam alituum seruare volatus,
Aut pecudum fibras melior, gratissimus augur
Cæsaribus primùm, virtute illustris, & arte
Ad summos tandem senior peruenit honores.
Atticus alter Amon, dulcis cui gratia linguæ,
Mellitiq; fluunt tranquillo è pectore rores,
Gymnasij decus, & gentis lux prima togatæ.
Vltimus Automedon incerto è sanguine cretus,
Vrbs vbi clara armis, centum clarissima portis
Niliacos Thebe populos ditione tenebat,
Nunc saxa, & veteres conuoluunt rastra ruinas;
Sed quia sacra Deûm, gentisq; arcana vetustæ,
Cornigerumq; Apim, Serapisq; exordia prima
Nouerat, eximia vitam cum laude trahebat.
Iamq; dies decreta polo fulgebat aperto;
Ipsaq; iamdudum cælestem regia Virgo
Implorabat opem supplex, arasq; tenebat.
Nec minus & roseo senior velatus amictu

Tem-

Tendebat tremulas lachrymans ad sydera palmas,
Auxilioq; Dei natum, matremq; vocabat.
Vt verò, niueasq; dapes, purumq; liquorem
Obtulit, & sæua mortis monumenta peregit,
Reginam sacro pariter libamine pascit,
Attollensq; manus supra caput, incipit ore.
I Virgo, confide Deo: NIL, auspice Christo,
Non facile: ille tibi vires, & verba ministrans,
In mediam tecum auxilio descendet arenam.
Nec plura: ardenti surgens lætissima vultu
Illa ibat; nullos agitantem corde timores;
Mirantur populi, & stupidi comitantur euntem:
Quam simul ingenti stipatam accedere turba
Audijt, ad sedes venit Maxentius imas;
Tùm tecti ante fores solio sublimis in alto
Consedit, procerum turba, & circumdatus armis:
Nec mora, delecti longis in vestibus omnes
Aduentare viri, & coram se ostendere Regi:
Ille auidos pugnæ vultus, viresq; seniles
Dum videt, exultans mentem spe nutrit, & ignem
Immittit venis, & pabula præbet amori;
Iamq; nouos sperat Catharinam linquere ritus
Euictam, & rigidæ mores deponere mentis.
Illa autem irradians cœlesti cuncta nitore

Intrabat campum pugnæ, plateamq; patentem.
Exoritur subitò clamor per tecta, domusq;,
Effusæ ingeminant voces, matresq;, viriq;:
Sermonum auscultare vices, & verba loquentum
Non licet, at longè euentum certaminis ardent
Spectare, intentiq; oculos ad singula voluunt.
Vt venit, vultus circum, & vaga lumina torquens
Voce salutauit Virgo, Regemq;, senumq;
Agmen, & instructa se tandem sede locauit,
Accedunt subitò Patres, solioq; propinquant;
Tùm placido primus sic orsus Alamnius ore.
O' lux Aegypti, Regum certissima Virgo
Progenies, fama cunctis notissima terris,
Quas nitido exoriens conuestit lumine Phœbus:
Non ego, nec tecum quisquam contendere nostro
Audeat è numero, sobolis veneramur auitæ
Fortunam, virtusq; ingens obstringit amore;
Sed Rex ipse iubet, pugnam non sponte sequuti
Adsumus, æternosq; Deos, ritusq; tuemur,
Quos nostri coluere patres, quos mille per annos,
Prisca hominum coluit veneranda nepotibus ætas.
Non animos versare dolis assueta, sed vnam
Iustitiam colere, & venerari numina Diuûm,
Auspicijs quorum, ò Cæsar, tua maxima Roma

Legiferis

Legiferis mundum victrix complexa triumphis
Vnica diuini firmauit fœdera iuris:
Vos hominem colitis Virgo, atq; in vota vocatis,
Incertum quo patre satum, quo sanguine cretum.
Quem nuper gens vestra neci demisit acerbæ
Infami infixum ligno, populi vnde pependit
Dicta salus, sæuasq; dedit cum sanguine pœnas;
Illi autem regno pulsi, proprijsq; carentes
Sedibus extorres nullo auxiliante Deorum
Dant pœnas; laceros vidi crudeliter ipse
Innumeros Christum extrema cum voce vocantes
Nequicquam diræ exangues occumbere morti.
Quid bina enumerem euersæ crudelia gentis
Excidia, & ductos Capitolia ad alta triumphos?
Dij vestri cessere Ioui, templa aurea, templa
Assyrijs quondam fama celeberrima terris
Strata iacent, fuerant vobis quæ sacra, superbos
Nunc spolia exornant muros, & templa Quiritum:
Sed liceat Solymæ patrum vestigia genti
Prisca sequi, Christumq; illum veneretur ad aras,
Cuius in extento transfixit stipite corpus:
At Diuûm auspicijs natos melioribus oris,
Quid patrias temerare aras, sanctosq; penates,
Vanaq; derisæ sectari ius omnia gentis,

Tuq; adeò inprimis cœlo gratissima Virgo,
Muneribus cumulata Iouis, quam Cæsar amore,
Totaq; prosequitur studijs Aegyptia tellus,
Quid struis? æternosq; Deos ingrata, Iouemq;
Deseris, atque nouis violas templa aurea sistris
Christiadum turba, & vanis stipata ministris?
Non sic illi olim prisci longo ordine Reges,
Sed summa pietate Iouem, Diuosq; colebant,
Egregiusq; parens omnes acerrimus antè
Vindice Christigenûm multabat corpora pœna:
Scrutari ingenio, rerum perquirere causas,
Et Diuûm curas, regniq; arcana beati
Pulchrum est; at meritos aris non ponere honores,
Et sacras turbare ædes, & signa Deorum,
Hoc est æthereamanibus detrudere summum
Arce Iouem, superisq; iterum noua bella ciere:
Quod coniuratos tentantes Iuppiter olim
Fulmine deiecit fratres, semustaq; iussit
Aeternum stygijs religari membra catenis.
Dixerat, atq; omnes taciti responsa morantur
Virginis; illa solo tollens quæ fixa tenebat
Lumina, cælestes roseo dedit ore loquelas.
Si vitæ non vlla foret spes certa futuræ,
Aeternaq; animi mortales luce carerent,

Iure equidem imperij molem, magnosq; triumphos
Iactaret tua Roma pater, nec gratia Diuis
Vlla satis, qui pro meritis, pro fortibus ausis
Talia Romuleæ cumularunt munera genti:
Sed quoniam nullos non duratura per annos,
Nec dubitanda fides, series manet altera uita,
Huc animo, huc toto properamus pectore anheli,
Nec vestras curamus opes, fastusq; superbos
Imperij, nil picta mouet nos purpura Regum,
Sed patimur læti, & pœnas pro nomine Christi
Expetimus, charumq; mori contingit inermes,
Dum liceat tandem patrio requiescere cœlo
Defunctos vita, & pœnarum turbine mersos:
Non tamen indecores semper, derisaq; turba
Mentiti immeritos Iouis aspiciemus honores,
Veraq; nec semper misere contempta iacebit
Relligio, lustris veniet melioribus ætas,
Nec longinqua manet, nec possunt fallere vates,
Cùm tua Roma Iouem, turbamq; exosa Deorum
Vnum submisso veneretur poplite Christum,
Mutatumq; regat diuinis legibus orbem;
Ipsa, modò infamis, vestra vilissima genti,
Crux super excelsas moles, super alta potentum
Tolletur (miranda fides) diademata Regum:

Sanguine non aras taurus, non amplius agnus
Turpabit, non furta Iouis, non coniugis ira,
Non Martis, Phœbiq; doli mortalibus ansam
Præbebunt culpis, vilescent nomina Diuûm
Non noua seu Cæsar, vel numina mille Senatus
Crudeles faciet Reges, Regumq; ministros:
Nec puer, ob scelus, impuris celebrabitur aris, Sch. 1.
Ille vir, ille vnus mortali haud semine cretus,
Aeterno sed patre satus, lux vnica mundi
Qui scelerum purus, culpaq; immunis ab omni
Natus homo humanas sarciuit morte ruinas.
Ille vaporatas cœlo sublimis ad aras
Audiet humanas voces, illi vltima Thule
Seruiet, & vario positæ sub cardine gentes:
At ligno infami affixus Deus ipse pependit
Vilis homo, extremosq; tulit cum morte dolores;
Scilicet hoc summi mens inconcussa parentis,
Hoc amor, hoc rerum poscebat maximus ordo;
Non poterat namq; ille pati, atq; occumbere morti,
Mortalem ni vitam hominum, formamq; subisset,
Nec lapso poterant homines succurrere sæclo
Innumeras quamuis pœnas, mortemq; tulissent:
Vnus erat satis ipse Deus, qui sanguine fuso
Ablueret priscas cœlestis victima culpas

Et

Et vetiti nobis referaret limina cœli.
Cernitis, vt vestras aras, Diuosq; , Iouemq;
Contemnat, sanctisq; ruat sub legibus orbis?
Quid iam Christiadas tercentum agitasse per annos
Profuit, & pœnas odijs sumpsisse nefandis?
Vidisti extrema Christum cum voce vocantes,
Credo equidem, duræ laceros occumbere morti;
Nùm gens supplicijs, & sæuis obruta pœnis
Fessa iacet, vestrosq; Deos veneratur, & orat?
Nùm ritus posuere suos formidine pulsi?
Fortius an ferro incaßum, pœnisq; repressi,
Insurgunt, sparsusq; cruor noua pectora gignit,
Qui poßunt iterum Christumq; , fidemq; professi
Supplicia expetere, & duris se offerre periclis:
Sic erit, ò veneranda cohors, contusa resurgens
Clarior obscura soluet caligine terras
Relligio Christi, qualis stridentibus Austris
Maiorem latè iaculatur flamma nitorem;
Donec longa dies tenebras diffundet, & omnes,
Quà regit immensas Romana potentia terras,
Ritè colant posita gentes formidine Christum.
Talibus arcanos referantem pectore casus
Excipiunt populi plausu, clamorq; per auras
Exoritur, qualis ventorum agitata tumultu

Sylua

Sylua antiqua fremit, rauco vel murmure qualis
Ostendit nautis scopulos maris vnda latentes.
Vt verò posuere omnes, resonumq; quieuit
Murmur, Amon placido accedens sic ore profatur.
Res dubias, casusq; audes reserare futuros,
Quos vllum nouisse hominum Deus ipse negauit,
O Virgo, & cæca voluit caligine mergi.
Si ligno affixi venerari numina Christi,
Et deceat nobis cœlestes spernere Diuos,
Spectemus; tangat nostros cura illa nepotes,
Quos ætas ventura Deos veneretur, & oret.
Imperij pater Augustus flectebat habenas,
Cùm patris, vt perhibent, soboles (si credere dignũ est)
Deuenit cœlo, mortalesq; induit artus:
Hinc vos Christigenæ, vestra hinc exordia sumit
Relligio, occisumq; hominem veneratur ad aras.
Si placet, hìc primùm, ò Regina, euolue roganti,
Cur prius affatus populos, hominemq; professus
Non tulit optatam vobis Deus iste salutem?
Curq; prius Solymæ ignotus sine nomine genti?
Quandoquidem si notus auis, proauisq; fuisset,
Non illum immiti multassent morte nepotes:
Vnde noua hæc igitur diuina potentia terras
Irrupit, tantoq; animos accendit amore?

At

At potuere fidem Christi, nomenq; professi
Cuncta pati innumeri, diraq; occurrere morti;
Quis negat? Argiuis crudelia funera terris,
Et vidi Eoos vndantes sanguine campos,
Nec Romæ miseranda lues, Latioq; pepercit;
Attamen exigui numero. si prisca reuoluas
Sæcula, & ingentem seriem, turbamq; rependas.
Qui nostros coluere Deos, qui tempore in omni
Proijcerent animas pro relligione parentum.
Non alios vnquam studijs præclara Mineruæ
Græcia cognouit Diuos, non arbiter orbis
Romanus, centumq; patres, non Tuscus aruspex
Relligione olim Hesperijs celebratus in oris.
Vna fuit Dijs, vt fama est, contraria nostris
Gens Solymûm templo quondam memorata superbo:
Hæc affata licet Christum, mirandaq; facta
Viderit, illius leges, nec iussa magistri
Accepit, sed ligno exanguem affixit in alto,
Derisitq; Deum, nunc & deridet, & odit.
Quid penitus toto commotos orbe tumultus,
Aut repetam vanis instructas moribus vrbes?
Non pacis seruare fidem, non munera belli
Exercere, domos odijs agitare quietas,
Virginitate frui, proles odisse suorum,

Sunt

Sunt artes vobis, non iussa facesŝere Regum,
Sed syluas potius, sedesq; habitare repostas,
Publica quàm iura, & leges seruare verendas:
Hinc pœnæ, hinc clades, hinc Romæ incendia Cæsar
Vltus Christigenum tepefecit sanguine Tybrim,
Hinc pater ipse tuus Gallorum dum imminet aruis,
O Rex, & miles detrectat munera belli,
Nec iussus petit aduersos Mauritius hostes,
Sch. a. *Thebæas stricto petijt mucrone cohortes:*
Quas non exarsit meritas Traianus in iras,
Cæsare quo nullus moderatus iustior orbem?
Sed prius occiduo condet sol æquore currum,
Singula quàm vestræ complecti crimina gentis,
Quasq; dedit miserè valeam percurrere pœnas.
Dixerat; illa oculos iam dudum accensa tuetur
Dicentem, & tales effundit pectore voces.
Fœdera nec violat pacis, nec iura resoluit
Publica, qui cœli Regem, patremq;, Deumq;,
Quē credidit, non vana hominū simulachra, veretur;
Nec nocuit cuiquam, vitam qui puriter egit,
Aut dulces coluit syluas, sedesq; remotas:
Si flammis olim Roma est absumpta, vetustos
Annales petat illa suos, causamq; ruinæ
Inueniet, Christiq; sinat sine crimine gentem,

Nec

Nec petere armatos renuit Mauritius hostes,
Sed vanum iurare Iouem, num munera pugnæ
Sch. *Fulmineæ quondam declinauere phalanges?*
3. *Quis Deus auxilio, quæ magna potentia cœli*
Restituit pluuia Romanam aspergine gentem,
Flammiferumq; imbrem validos contorsit in hostes?
Sarmata iam victor testis, iam colla Latinis
Calce terens, Christum vt vidit pugnare tonantem,
Et fluere æthereis liquefactos ignibus enses,
Romuleum ingenti cumulauit clade triumphum:
Nunc autem prima incipiens ab origine mundi
Si prisca humanæ repetam contagia culpæ,
Quæq; dedit promissa Deus, quæ pectore quondam
Fatidico sacri populis cecinere prophetæ,
Vtq; polo tandem venit moriturus ab alto,
Obruat effusis cœlum nox atra tenebris,
Temporaiamq; nimis longo sermone moramur
Cæsaris; at si certus amor, si certa voluntas,
O patres, nouisse Deum, qui sydera torquet,
Qui cœlum, tractusq; maris, qui cuncta creauit,
Ipsa adero, vatumq; annosa volumina pandens
Singula Christiadæ euoluam mysteria gentis.
Talia dicenti subitò Maxentius alto
Annuit è solio, patresq: ad Virgines ædes

Ire iubet, sol vt tremulis caput exeret vndis,
Si rigidam possint monitis prauertere mentem
Imponat tantæ finem lux altera pugnæ.
Nec mora, discedunt omnes, & tecta reuisunt;
Ast vbi clara dies terris illuxit apertè
Conueniunt, regisq; senes mandata facessunt;
Quos properè occurrens vultu Catharina benigno
Excipit, & dulces emittit pectore voces.
Saluete, ò proceres Pharij, lectissima regni
Lumina, quas vobis persoluat fœmina grates,
Qui tenues tanto dignatis honore penates?
Dixit, & instructa patres in sede locauit;
Ipsa inter medios libris vallata vetustis
Assidet, vtq; videt cunctos intenta tenentes
Lumina, diuinos effundit pectore rores.
Prima recensebat teneri cunabula mundi,
Diuisam tenebris lucem, terramq;, polumq;,
Qui tegat innumeras stellanti margine formas,
Quas Deus ex nihilo primis antiquior annis
Ipse sua virtute potens cum voce creauit,
Informis non illa Chaos, non indiga molis,
Quæ confusa daret distinctis semina rebus;
Dixit enim, vtq; alto manauit pectore verbum,
Prodierunt subitò diuisis omnia formis,

Induc-

Indueruntq; suas animalia cuncta figuras:
Vltimus è limo terra, sed natus olympo,
Cui mare, cui tellus, cui seruiat arduus æther,
Factus homo, dulcisq; illi comes addita coniux,
Hortos qui riguos, & amœna vireta colentes,
Multiplici terram viuendo prole replerent:
Sed postquam mandata Dei transgressus iniquè
Auricomo vetita decerpsit ab arbore fœtus,
Sedibus eiectus placidis, morbosq; famemq;
Nudus egens tulit, & mortem gustauit amaram,
Dum quærit sudore cibum, dum serus olympum
Obstructum inspiciens vanis loca questibus implet.
Tum genus omne mali, sceleris genus omne nefandi
Inuasit terras, series scelerata nepotum
Iustitiam auertère animis, rectumq; , fidemq;,
Conspersit frater fraterno sanguine campos,
Dilecti thalamos inuasit adulter amici,
Non pietas, non sanctus amor, sed dira cupido,
Et furor, & fraudes: hominem fecisse Creator
Indoluit, certusq; genus mortale sub vndis
Perdere, rorantes nimbis laxauit habenas.
Vnus erat iustus, cœlo gratissimus, arca
Quem Deus inclusum tumidis seruauit ab vndis,
Progeniemq; vnam voluit superesse suorum,

Quæ gentem humanam renouato redderet orbi.
Talibus annales relegens Catharina verendos
Productum mira narrabat origine mundum,
Humanamq; luem, & primi commissa parentis,
Quæ miseri frustra deplorauere nepotes;
Hinc dandam populis veniam, certamq; salutem,
Venturumq; Dei monstrabat ab æthere natum
Sacrorum quondam cecinisse oracula vatum,
Et mira signaße nouos sub imagine casus;
Omnia quæ Deus ætherea miseratus ab arce
Impleuit tandem, & puros descendit in artus
Virginis; arcano tumuerunt viscera Verbo
Authorem paritura suum, paruaq; sub aluo
Ille Opifex latuit mundi, rerumq; creator,
Numine qui cœlum, & totum complectitur orbem;
Hinc ortus miros pueri, cunasq; rigentes,
Aligerumq; super voces, plaususq; canoros,
Factaq; diuinæ populis gratissima dextræ,
Et purè exactam addebat sine crimine vitam:
Quæ tamen inuidiæ stimulis, actiq; furore
Iudæi spreuere patres, & funere acerbo
Multauere hominum Regem, patremq;, Deumq;;
Ille sed infringens obstructi claustra sepulchri
Erupit victor spolijs insignis Auerni,

Et

Et se contingi charis permisit amicis:
Quos vbi cognouit dulci pro nomine cuncta
Posse pati, ascendit cœlum, terrasq; reliquit,
Pollicitamq; Dei demisit protinus auram:
Illi concordes domino auxiliante profecti
Distinctas subiere vices, totumq; per orbem
Fallaces animis hominum abstersere tenebras.
His postquam Catharina modum dedit ore loquelæ,
Ambigui mußare patres, nec dicere contra,
Sed rogitare super dictis, quæ mira per vrbes
Fecerit Assyrias, varias quos miserit oras
Egregios pietate viros, vbi dogmata Petrus
Diuina, & chari memoranda arcana magistri
Ediderit, qualesq; olim benè notus Athenis
Abluerit sacra gentes aspergine Paulus;
Quis prior Italiã, & gelidas penetrauit ad Arctos,
Incussitq; viris miserandæ mortis amorem.
Singula quæ postquam cœlesti numine plena
Euoluit, docuitq; viros purissima Virgo,
Olli curarum pauido sub pectore moles
Voluentes rediere domos; non viuida virtus
Non solitas animis præbet sapientia vires,
Sed metus exangues miserè depascitur artus:
Nec secus horrisona contusos grandine campos,

Succi-

Succiſaſq; videns vuas, deiectaq; poma,
Vnde alat incertus natos, dubiuſq; futuri
Agricola ingentes voluit ſub corde dolores;
Talis mœſta domum vultus demiſſa petebat,
Euentus, metuens ſapientum turba futuros.
Aſt vbi ſol tremulis conſurgens cœrula flammis
Sparſit, & humanos indixit ritè labores,
Conuenere ſenes iterum, tum primus Amonem
Automedon placido compellans pectore fatur.
Magne pater, triſti tacitus quid corde volutas?
Fare agè, ſuſpenſiq; animi ſuccurre labori,
Quandoquidem, fateor, ſacræ vt myſteria legis,
Miraq; tractantem audiui primordia mundi
Reginam, varias agito ſub pectore curas.
Dixerat, ille imo ducens ſuſpiria corde,
Vincimur, Automedon, potuit quæ maxima quondã,
Eſſe fuit, palmaſq; tulit noſtra inclyta Virtus:
Non tamen hanc tribuat tantã ſibi fœmina laudem,
Nec tales ſuperaſſe ſenes Virgo innuba iactet;
Maior adeſt virtus, illi quæ verba miniſtrat,
Nec ſolitas nobis inſpirant numina vires,
Viſaq; ſub noctem terrent inſomnia mentem;
Vix etenim primo flectebam lumina ſomno,
Cum latè ingentem nos vndiq; cingere flammam

Cer-

Cernebam, & tremulos penitus depascier artus,
Nec quisquam immanem audebat depellere pestem;
Vna tamen lux orta polo, lux omnia complens
Lumine, seruasset fortè, auxiliumq; tulisset,
Sed radijs impar superis, flammisq; coruscis
Excutior, gelidaq; tremens formidine surgo.
Talia dum memorant vnà, plateæq; propinquant,
Iam Rex sceptra tenens, ostroq; , auroq; superbus,
Sed curis æger solium properabat ad altum:
It lateri Faustina comes, proceresq; sequuntur.
Et longis Romana cohors spectabilis hastis:
Parte alia eximiæ Virgo certissima palmæ
Ibat, eam mediam lætissima turba piorum
Accipit, insolitoq; videns fulgore nitentem
Miratur lucem æthere am, vultusq micantes:
Illa vbi regales sedes soliumq; superbum
Venit, & accenso lustrauit lumine, patres
O miseri, quæ tanta animis dementia, dixit;
Mendaces sempér ne Deos falsumq; Tonantem,
Qui vitam scelere ante omnes impurior egit,
Vanaq; credetis Phariæ ludibria gentis?
Ah superis genus inuisum, gens impia flammæ
Debita Tartareæ, æterno vicina dolori
Veracem spectate Deum, conuertite mentem,

Quò Deus, & melior cœli sapientia ducit:
Tu summi mens vna patris, spes vna tuorum,
Vna salus mundi, nigri prædator Auerni,
Errantes miserere senes, miserere coronæ,
Quæ tantæ finem pugnæ confusa moratur,
Et dubias vanis erroribus exue mentes:
Non ego clara mihi deposco munera palmæ,
Non laudem nomenq; peto, tibi maxima facti
Gloria, te cœli Regem, dominumq;, Deumq;
Agnoscant populi, pingui quos Nilus arena
Alluit, & rauco complectitur aggere pontus.
Vix hæc fata erat, ardentes nitor ecce per auras
Emicat, & tonitru cœli domus alta remugit;
Visa dehinc puerûm nitidis pulcherrima pennis
Aligerum manus in gyrum descendere cœlo,
Et manibus palmam, & nitidas gestare coronas,
Omnibus haud visum vidit lætissima Virgo,
Et pauidi videre senes, numerumq; tuentes
Agnouere Dei donum, palmamq;, coronamq;
Agnouere sibi superûm prætendere dextras.
Tum prior æthereo correptus Alamnius igne
Ad cœlum cum voce oculos, palmasq; tetendit.
Diuinæ agnosco cœlestia munera dextræ
Christe Deus, venioq; libens, vocemq;, manumq;

Acci-

Accipio, tu tarda meæ vestigia vitæ
Dirige & immersum humanis defer de procellis.
Dixit, & ad solium Regis consistit & altè
Intonat. Ille vnus cœlo dominatur, & orbi,
Quem Catharina colit Christus, Deus ætheris alti;
Sic fateor, victusq; Iouem, lituumq; relinquo.
Hæc ille, & cuncti intrepido simul ore frementes
(Quid non sancta fides hominũ pia pectora cogis?)
Assensere senes: rabido furit ecce tyrannus
Pectore, collucent oculi, subit ira per artus
Feruida, & insanis agitat præcordia flammis.
Nec mora, dans gemitũ, Sic me contemnitis, inquit,
Et nihili Iouis, & Diuûm pendetis honores?
Ferte ignes, stipulasq; citi properate rogales,
Sic volo, delirosq; senes imponite, nostras
Ediscant vires, & numina temnere Diuûm.
Sic ait, & solio præceps se mittit ab alto,
Ascenditq; domum secreta vbi parte repostus
Infremit, & molem irarum sub corde volutat.
At subitò vt Regis iussa accepere ministri,
Nec pœna videre senes, nec morte moueri,
In furias, ignesq; ruunt: stat feruidus ardens
Antiochus, tardosq; minans incendit, & vrget.
Ipsi lætantes constanti pectore patres

Non ignes, non arma timent, ſed lumina cœlo
Attollunt, mortemq; optant; ſpes certa coronæ
Aeternæ humana ſoluit formidine mentes,
Cœleſtiſq; armat trepidantia pectora virtus.
Ac veluti nimbis cœlum velantibus imbrem
Grex anatum adventare videns clangoribus auras
Implet, & arentes plumas expandit, & alas
Iam iam lapſura cupiens aſpergine tingi;
Haud ſecus, æternam ſperans de funere vitam
Turba ſenum læto reſonabat murmure cœlum,
Optabatq; rogum humanos abrumpere nodos.
Ipſa ardens animi vultu Catharina ſereno,
Hortaturq; viros, verbiſq; incendit amicis:
Nec minus & populum cuſtos ſanctiſſimus heros,
Ad cœlum vt nigras vidit volitare fauillas,
Ite animæ, altiſona clamabat voce, beatæ,
Et ſuperas penetrate domos; vos vltima cœli
Expectat regio, vobis iam brachia pandit
Ipſe Deus, crineſq; Deus diademate nectit:
Felices animæ, haud vobis caput vnda ſalubris
Abluit, & melior labes puriſſimus ignis
Tergit, & æterna cœli in ſtatione reponit.
Iamq; aderat finis, cunctoſq; exederat ignis,
Ecce nouum ſedes intra, tectumq; ſuperbum

Exo-

Exoritur, turbatq; animos mirabile monstrum.
Regina in cinerem vt vidit considere flammas,
Seu deiecta Deûm in mentem simulacra venirent,
Virgineumq; iter, & sancti præcepta parentis,
Siue quod ex alto flammas speculata rogales
Viderit ad summas animas ascendere sedes.
Acta furore pio, nulloq; retenta pauore
Regalem ingreditur thalamum, Christumq; fatetur
Velle sequi, vanosq; Deos, ritusq; profanos
Abnegat, & Pharia ridet misteria gentis.
Obstupet auditis tantis Maxentius ausis,
Vixq; sibi credens rursus scrutatur, & audit,
Inde preces adhibet supplex, oratq;, monetq;:
Ast vbi nulla iuuant, ardenti concitus ira
Supplicia, & sæuum mortis genus omne minatur,
Et noctem requiem ponit, metamq; furori.
Vt verò lux alma polo diffulget aperto
Reginam petit Antiochus mandante tyranno,
Exquiritq; ferox, cœlo si Iuppiter ingens
Regnet, & immensas mundi moderetur habenas
Asserat, aut subitò pœnas cum sanguine pendat:
Illa negat, Christumq; vnum regnare profatur
Qui cœlum, terrasq; regit, qui cuncta creauit.
Talia dicentem & Iesum, Mariamq; vocantem

Arripiunt ſubitò Antiocho ſpectante miniſtri,
Et laqueo allidunt fauces: volat actus ad aſtra
Spiritus, & cœli æterna ſpatiatur in aula;
Fortunata nimis, fallacibus vna tenebris
Te rapuit, ſuperaq; dies in ſede locauit;
Quæ fuit ingenti ſpectari digna theatro
Mors latuit, non viſa fides, non viuida virtus;
Dum tamen excelſus Romana in ſede ſacerdos
Legibus immenſum ſacris moderabitur orbem
Nulla dies, mortemq; tuam, laudeſq; tacebit.
Et iam fama ruens funeſti nuntia caſus
Concuſſam ad gemitus vrbem, populoſq; vocabat,
Cunctaq; multiplici reſonabant compita luctu:
Nec ſuper horribili tantùm, ſubitoq; mouentur
Reginæ fato, & ſortem miſerantur acerbam,
Sed grauiora timent, furijs Rex ne actus & ira
Irruat, & Chriſti perdat cum ſanguine gentem.
Ille animi haud compos turbato pectore rerum
Voluebat tacitus molem, dolor altus amori
Aeſtuat immixtus, nec abeſt inſania luctu,
Ingentesq; imo manant è pectore quæſtus:
Atque illum tales agitantem corde dolores
Antiochus ſtimulat dictis, atq; aſperat iras.
Quas meruere ſenes flammas ſubiere, rogosq;

Et

Et dedit immanes coniux tua sanguine pœnas:
Vna triumphato victrix te Cæsare Virgo
Christiadum stipata choris, vanisq; ministris
Exultans mediam incedit Catharina per vrbem;
Nec pœnas timet emeritas, fascesq; uerendos,
Ausa nefas licet, & tantorum causa malorum;
Tune igitur chari potuisti fœdera lecti
Rumpere, & extremas sumpsisti à coniuge pœnas,
Ausa quòd æternos semel est contemnere Diuos;
Illa autem legi iampridem addicta profanæ,
Falsaq; Idumæi sectans præcepta prophetæ,
Viuit adhuc, nostrasq; aras impunè, Iouemq;
Spernit, & ingentes tota ciet vrbe tumultus?
Non ita, si patrijs Cæsar virtutibus orbem,
Niliacasq; regas vrbes, Rex omnibus idem
Aequato populûm perpendas crimina lance.
Et sæuo iubeas Catharinam funere mergi;
Sin ætas tamen, & dilectæ gratia formæ,
Virgineo turpare vetat tibi sanguine terram,
At liceat miscere minas, mentemq; puellæ
Horrendæ in melius formidine vertere mortis.
Est mihi crudeli iampridem cognitus arte,
Qui varias homini pœnas & dira ministret
Supplicia, aspexi binos crudeliter olim

Tollere præcinctos duris mucronibus orbes,
Et medios aptare homines, tum vertere moles
Turbinis in morem, & miserè discerpere membra.
Has ego nunc rapidasq; rotas, gladiosq; iubebo
Si placet, adduci, medioq; in littore sisti,
Ipsa inter ferrum ponetur fœmina aduncum;
Non tamen in gyrum verti, nec scindere falces
Membra sinam placitæ quando vis parcere formæ,
Sed spero, vt molem aspiciet, gladiosq; minantes
Cedet, & in melius mentem mutata reducet.
Sic ait, ille imo ducens suspiria corde,
Hoc erat ardenti, dixit, quod mente petebam;
Nec sæuire volo, nec tantæ ignoscere culpæ,
Accedat, notusq: paret tormenta minister,
Tradatur sæua quàm primum fœmina moli:
Tu ne parce minis, sed vultu asperrimus instans
Adde metum miseræ; vlterius contendere, & artus
Dilaniare veto, cœlo mihi Iuppiter alto
Adsit, & optatam tribuat sine sanguine palmam.
Dixerat, ille volans subito mandata tyranni
Imperat, ad cœlum duplices in littore moles
Ensibus & ferro armatæ tolluntur acuto,
In medio spatium, quantum clausa vndiq; Virgo
Alterutrum excipiat stridentis turbinis ictum,

Quæ

Quæ postquam non visa prius spectacula matres,
Et pauidi videre senes, mollesq; puellæ,
Ingenti latè resonarunt littora fletu:
Quales vbi audito geminorum funere fratum,
Aut patre innuptæ fatum plorante puellæ,
Argiuis soliti gemitus resonare theatris.
Tùm vero humenti maduerunt ora liquore,
Horrendisq; altè insonuit plangoribus æther,
Cùm rutilis fulgentem armis accedere turbam
Aspexere procul, cui dux Porphyrius ante
Spumanti sublimis equo, spectabilis auro
Reginam rapidos mediam ducebat ad orbes:
Hic patre Ausonio, Pharijs generatus in oris
Nobilitate potens, opibusq; superbus auitis
Christiadumq; Deum pariter, Phœbumq;, Iouemq;
Temnebat, non illi animo cura altera maior,
Quàm Regis vitam armato custode tueri.
Illa nihil curans dirum genus omne dolorum,
Atrocesq; minas, nullo externata timore
Septa armis licet, & diris comitata ministris
Ibat, & ardentes tendebat ad æthera vultus.
Ventum erat ad littus, iam sæui cuncta pararant
Carnifices, oculisq; ferox, asperrimus ore
Reginæ Antiochus gladios monstrabat obuncos,

Imma-

Immanesq; rotas; sed non magis illa mouetur,
Quàm si purpureis halantes floribus hortos,
Aut dulcis grata aspiceret conuiuia mensæ.
Sed tamen, vt lachrymis vidit suffusa suorum
Lumina, & exanimi vultus pallore rigentes,
Ingemuit, cœloq; manus miserata tetendit.
Si me terrificis conturbet machina cultris,
Si pro te extremos cupiam tolerare dolores,
Haud ignota tibi, vires qui sufficis vnus,
O Deus, & tenerum obfirmas mihi numine pectus,
Iamq; libens venio, & crudeles demoror enses;
Tu, quos in duro nimium diffidere casu,
Turpiter inq; meis video trepidare periclis,
Aspice, non horrenda illos spectacula turbent,
Auertantq; animos, virtus, numerusq; tuorum
Crescat adhuc, nullusq; tuos attentet honores.
Talibus orantem summi regnator olympi
Audijt, & subitò cœlestis robora pubis
Aduocat, æterni accipiunt mandata Tonantis
Aligeri, vitreiq; secant pura æquora regni.
Est locus æthereæ cœli sublimis in arce,
Arma vbi cœlicolùm, & diuina fulmina dextra
Seruantur, non illa manu, non viribus vllis,
Facta hominũ, Deus, ipse Deus cum prælia magna,

Diuisum

Diuisum ingenti cœlum inuertère tumultu,
Diuino ex auro, atq; immortali ex adamante
Fecit, & aduersam detrusit ab æthere gentem;
Pendet inauratis ingens laquearibus hasta,
Qua tumidũ Michael tenebrosa in regna draconem
In gelidos sedem ardentem transferre Triones
Impulit, & qui mortales nitidissimus ensis
Deiecit miseros cœlo, & viridantibus hortis:
Huc igitur iuuenum purum per inane volantum
Tendebat glomerata manus. Lætissima vultu
Inter vtramq; rotam medium Catharina tenebat
Interea, & fors, quæ sæua ad tormenta ministros,
Irritans stabat Stygijs effusa caminis,
Nigra cohors vetitos agitaßet turbinis ictus,
Et niueum cultris corpus laniasset acutis,
Cùm subitò abruptis laté disrumpitur æther
Nubibus, ingeminant diuinæ fulgura flammæ:
Nec mora, cœlicolas mortalia lumina aperto
(Mira equidem, sed vera cano) descendere cœlo
Videre incinctos flammis, manibusq; minaces
Vibrantes gladios, clypeosq; adamante coruscos:
Tardior Alpino descendit vertice torrens,
Tardior & neruo volitat stridente sagitta,
Nec valido magis emissum ferit impete fulmen,

Aut turrim aeriam, aut alti ſaxa aſpera montis
Quò magno veniens cœli, terræq; fragore,
Et cunctis gelidum incutiens per corda tremorem
Diſiecit pennata phalanx, cultroſq; , rotaſq; ;
Vix etenim ferrum dextris cœleſtibus actum
Attigit humana chalybem fornace recoctum,
Cùm ſciſſa in varias extemplò fragmina partes
Diſsiliere procul, magnamq; dedere ruinam.
Eruta non aliter violento turbine quercus,
Dum cadit alta iugis circum latè omnia frangit,
Ipſe prior Dolon molis fabricator, & author
Impete cum magno pectus diſcerptus, & ora
Sanguine roranti fuluam conſperſit arenam:
Inde alij aſtantes diſiecti in fruſta miniſtri
Diuerſis iacuere locis; hic oſſa cerebro
Permixta, hic nigrum vultus vomitare cruorem
Cernere erat, truncasq; manus, tremuloſq; lacertos;
Tu, qui dignus eras crudeli peſsime pœna,
Dum generoſa refers Catharinæ corda tyranno,
Antioche, effracti vitaſti turbinis ictus;
Sed quæ diſsimulat grauiter magis effera plectit
Ira Dei pœna, tempus labentibus annis
Adueniet, Stygio æternùm cum carcere clauſus
Quàm velles Chriſti nunquam tetigiſſe fideles?

Ipsa inter tantos Catharina illæsa fragores,
Tempestas dum sæua furit, quas protinus illi
Cœlicolæ exuerant vinclis miserata cadentes
Tendebat cœlo palmas, veniamq; petebat:
Parte alia, vt cœlum ardenti resonare tumultu,
Aligerosq; manu vidit prætendere ferrum,
Ad terram amißis cecidit tremefactus habenis,
Immotusq; diu mansit Porphirius amens;
Sed postquam socij indignè erexere iacentem,
Luxq; redit menti, languentia corpora circum
Collustrat, fractasq; rotas, oculisq; nitentem
In medio incolumem admirans adstare puellam.
Attonito similis primùm trepidatq;, siletq;,
Consurgit tandem, & socios compellat amicos.
O socij, quæ monstra oculis, quæ visa per auras?
Quis tanta miseris laniauit corpora cæde?
Ipse ego, qui nullos rebar, nec vera negabo,
Esse Deos, fateor penitus mutatus in arce
Cælesti regnare DEVM, cui singula parent,
Nec posse humanas contra contendere vires;
Illum autem non esse Iouem, quem noster adorat
Rex, & Roma suas frustrà veneratur ad aras,
Sed quem Virgo colit dictum cognomine Christum
Quis neget? auxilio missos vidistis ab alto

Cœlicolas, molem supero qui adamante micantes
Fregere, & cunctos miserè occidere ministros?
Cernitis, vt tantas inter nil læsa ruinas,
Illa suo grates soluat pro munere Christo?
Hunc ego sic volo, sic statuo, dum vita manebit,
Ritè colam, possum Regi seruire, Deoq; ,
Ni fallor, sin me ille Deo seruire negabit,
Nil timeo, teneor Regi non legibus vllis.
Dixerat, & vario circum confusa fremebat
Turba sono; pars cœlestem mirata phalangem,
Vibratasq; rotas ad cœlum attollere Christum,
Qui dura immeritam seruasset morte puellam;
Pars factum damnare ducis, nimiumq; repentè,
Quos Cæsar, populiq; colunt, contemnere Diuos:
Sed iam Regina, & cano venerabilis æuo
Antistes placido fundentes ore loquelas,
Pectora firmabant dictis, dubiosq; mouebant:
Ipse prior cunctis nunc hos, nunc admonet illos,
Et rogat, & dictis Porphyrius vrget amicis;
Iamq; omnes firmati animis, iam pectore forti
Pro Christo extremos poterant perferre dolores,
Cùm ferus innumeris venit stipatus ab armis
Antiochus, quem regales vbi certus ad aures
Nuntius in Christum turmam iurasse, ducemq;

Detulit

Detulit, armatis classem spoliare cateruis
Iusserat, & ferro auersam Rex perdere gentem,
Si supplex iurare Ioui, Diuisq; negaret.
Ergo vbi ductorem Antiochus, turmamq; rebellem
Aspexit, grauiter pectus commotus, & ira
Intonat exardens. Quæ tanta insania menti?
Quis furor ò nostro nuper gratissime Regi?
Tune vnus magicas, quæ sunt notæ omnibus, artes
Virginis ignoras, Regemq; impunè, Deosq;
Spernere posse putas, Christumq; amplecteris illum,
Qui vitam infanda suspensus in arbore fudit?
Sed quid ego tam longa tibi periure reuoluo?
Cæsaris imperio hûc venio; vel numina Diuûm
Magna cole, aut sæuo expecta de vulnere mortem.
Sic ait, ille humili contrà sic voce profatur.
Non renuo seruare fidem, quæ debita Regi,
Sed quod cœlicolas, non hæc portenta magorum,
Hisce oculis vidi armatos demittere cœlo
Virginis auxilio, inuiolabile Numen adoro;
Si vetat hoc Cæsar, mortiq; occumbere mandat,
En moriar, cunctiq; simul moriemur inulti,
Sic seruanda fides; teneo quæ Cæsaris arma,
Depono, & pectus trado tibi nudus inerme.
Dixit, & in mediam ferrum coniecit arenam,

Nudauitq; sinum, socios tenet ardor & idem,
Depositisq; armis vnà, fremituq; secundo
Intrepidi pulchra haud dubitant occumbere morte;
Tunc tepidis primùm, quo non immanior alter,
Dicitur Antiochus casum miseratus acerbum
Abstersisse genas lachrymis, gemitusq; dedisse:
Ergò adhibere preces supplex, & nomine quemq;
Appellare virum, & magnos promittere honores;
Inde iterum in furias ire, & tentare minando,
Duraq; supplicia, & mortem monstrare paratam.
Ast vbi in extremis nullum trepidare periclis
Aspicit, ingenti furiarum percitus œstro
Aduocat armatas alto clamore cohortes
Ad cædem; strictis subitò mucronibus illi
Agmine circumdant denso, ferroq; trucidant.
Ac veluti tandem caulas si frangere ouilis
Impasti potuere lupi, crudelibus agnas
Dentibus inuadunt, faucesq; in viscera figunt,
Molle pecus nullas emittens ore querelas
Insanam saturat mutum, rabiemq; , famemq;
Talis sancta cohors Christum confessa, furorem
Hostilem tacita expleuit, cœlumq; petiuit.

D. CATHARINAE MARTYRIS

LIBER QVINTVS.

Sch. 1.

ATQVE ita dum Pharia sæuit Maxentius vrbe,
Gallorum extremas genitor fugiebat ad oras
Arma socer generi metuens, cui regia coniux
Consilia, & patris occultas detexerat artes;
Iamq; arua Allobrogum, camposq; tenebat apertos
Maximianus, vbi Rhodanus ruit agmine magno
Auctus aquis, altasq; secat rauco impete ripas,
Cùm regna insolito misceri humana tumultu,
Auersosq; videns Reges è carcere terræ
Prosiluit nigri Satan dominator Auerni.

Est

Sch. 2. *Est specus Oceanum iuxta, Senonesq; feroces*
Horrendum, atq; ingens rupta inter saxa vorago,
Vnde animas hominum libato sanguine Vlyßem
Appellasse olim Argiui cecinere poetæ,
Nunc voces, nec vana fides, gemitusq; nocentum
Accipiunt, variisq; vident simulacra figuris
Sub noctem agricolæ tenues errare per vmbras;
Hinc monstrum immane ingenti comitante caterua
Erumpens picea inuoluit ferrugine cœlum,
Infecitq; diem, atq; altas euectus ad auras,
Gallorum intorto lustrauit lumine fines;
Ast vbi cœlesti diffulgere Costantinum
Lumine prospexit, vultuq; armisq; tonantem,
Errantemq; senem pelagi penetrasse receßus,
Ingemuit Stygias eructans pectore flammas,
Quanta vaporantes dorso vomit Aetna caminos;
Tum caput, & rabidas quassans sub fronte cerastas,
Heu iuuenem egregium, regnoq; aduersa cadenti
Arma meo, dixit, bellorum ereptus ab vndis
Viuit adhuc? viresq; Erebi, insidiasq; meorum
Spernit, & immensum victor iam concipit orbem?
Prauisam quondam speraui auertere pestem,
Sch. 3. *Effera si facta alterius, moresq; superbos,*
Cerneret Augusti magno genitore relicto.

Christiadum semper voluit qui parcere genti,
Ecce autem genitor vita dum lumina claudit,
Non artes, varijq; doli, non aspera ponti,
Non gelido subter tardarunt cardine rupes,
Affuit, & fasces moriente à patre recepit.
Quid mox Gallorum contrà irritasse phalanges
Profuit? aut tedis nuper iunxisse tyranno,
Qui generum infidus regno spoliaret, & armis?
Coniugis admonitu soceri scelus ille retexit,
Nunc petit insultans fugientem, & sanguine pœnas
Proh dolor, assumet; nostri sic gloria regni,
Sic cadet imperium, victæ dominabitur ille
Italiæ, & Christum forsan venerabitur aris.
Non tamen oppressus tantarum turbine rerum
Vincar inultus ego, humanas opponere vires,
Armaq; Tartareis decerno excire cauernis:
Non sinet ille suo nutu, qui temperat orbem.
Inuisum iuuenem Ausonijs auertere regnis,
Ast inferre moram, & cædes miscere iuuabit:
Non vlla scelerum facies, non bella, furorq;.
Impia non Italos linquat discordia campos,
Sanguineis tellus stragis cumuletur aceruis,
Arma vomant amnes, & morientum fœda virorum
Corpora, & innumeris ditescant Tartara prædis,

Ioh. 4.

R Sit

Sic ait, & notis tradit mandata ministris,
Arsinoumq; ducem actutum iubet ire volantem,
Auxilioq; iuuare senem, natumq; ,ratesq;
Armatas quàm primum Italas deducere ad oras;
Ille iter arripiens nigrantibus aera pennis
Diuidit; arboribus qualis, segetisq; ruinam
Apportans per inane furit magno impete nimbus,
Iamq; super Ligerim, cursu qui allabitur vrbes
Ingentes, Rhodaniq; super dein astitit vndas,
Longæuumq; ducem paucis comitantibus armis
Massyliæ assequitur notis se condere muris
Optantem, iam iamq; arces, portusq; tenentem;
Qualis vbi ramos inter, syluasq; comantem
Accipitrem exanimis vidit volitare columba
Diffugit, & noto properat se condere nido;
Nec mora, se monstrum præceps demittit ab alto,
Mœniaq; humanæ ingreditur sub imagine formæ.
Nec minus & comites immixta caterua per vrbem
Multa canunt, vocesq; serunt, iamq; affore tempus,
Quo veniens varijs pollens Maxentius armis
Italia, & patrijs depellat finibus hostem.
Iamq; aderat cælo humentes nox lapsa per vmbras,
Ingressusq; vrbem optatum per membra soporem
Quærebat senior positis mæstissimus armis,

Ast vbi tarda quies languentia lumina pressit,
Olli se in faciem Arsinous mutatus Orontis,
Quem Rex Aetruscis nuper præfecerat oris,
Offert, & dictis mœrentem turbat amaris;
Extremo obsessus Gallorum in margine regni
Cogeris o Cæsar vitam concredere muro;
Regna labant Italûm, excitos vidi ipse tumultus
Ingentes, vrbes vidi, populosq; rebelles,
Ipsa potens rerum designat Roma triumphos;
Iamq; hostem accipiet, victriciaq; arma sequetur,
Tu, qui fœmineo torpens indulget amori
Niliacis natum cessas abducere ab oris?
Surge agè, vbi radijs reteget Sol aureus orbem,
Et certos dimitte viros, volet vncta per vndas
Aegypti ad fines, septenaq; ad ostia puppis:
Iuppiter ipse aderit, ventis, velisq; secundis
Adueniet classis, viresq; adducet Eoas;
Tùm variæ ingenti concurrent vndiq; gentes
Agmine, sed victor tandem Maxentius hostem
In gelidos pulsum coget remeare Britannos,
Matris vbi in gremio cunctos inglorius annos
Exigat, imperiumq; orbis, Romamq; relinquat.
Dixerat, ille noui concussus imagine casus
Protinus amplexus chari quæsiuit amici,

Ast vbi nusquam oculis optata apparet imago,
Nec thalami in tenebris facies quæsita refulget,
Mente agitans quæ dicta sibi, quæ visa per auras
Attollens ad cœlum oculos sic ore profatur.
Non vultus hominis, non vana insomnia vidi,
Non dux Aetruscis notus properauit ab oris,
Admonitus agnosco tuos, Deus optime, nostri
Iuppiter imperij custos, tua iussa per vmbras
Accepi, & quod adhuc armis agitatus iniquis
Haud potui, natum Pharijs accersere regnis
Non dubito, tu classi hyberno tempore cursum
Da tutum pater omnipotens, ferat ille parenti
Auxilium, Italiamq; suam, imperiumq; capeßat.
Sic fatus subitò è stratis consurgit, & omnes
Imperat acciri comites, quibus ordine pandit
Singula, quæ visus nuper narrarat Orontes;
Inde omnes littus petere, atq; exquirere puppim
Quæ volet Aegyptum, & vasti secet æquora ponti.
Ventum erat ad portus, instructam in littore nauim
Ecce vident hominum manibus, vel arte paratam
Tartarea incertum; positos certo ordine remos,
Linaq; mirantur tremulo pendentia malo.
Accipit augurium Cæsar, vultuq; sereno
Incipit infixum depellere corde timorem.

Sub-

Sulpitiumq; ducem, Phariam qui nauiget urbem
Eligit, hic teneris natum curarat ab annis
Sanguine maiorum uirtute, opibusq; superbus,
Et iuueni antiqua restabat gratia curæ,
Iamq; dies exorta polo, iam lampade Phœbus
Purpurea uitreas asperserat igneus undas,
Depositisq; minis ridebant marmora ponti.
Omnibus instructis charum complexus amicum
In medio mandata dabat flens littore Cæsar,
Præmiaq; addebat, molles si natus amores
Linquat, & Italiæ ingenti det classe salutem.
Omnia Sulpitius quæ postquam mente recepit,
Protinus ascendit puppim, proni æquora palmis
Sollicitant unà comites, & carbasa pandunt.
Nec minus Ausonijs cupiens succurrere rebus
Agmen agens Stygium circũ per transtra, per undas
Assidet, atq; ratem Arsinous comitatur euntem,
Euro quæ citius uasto se gurgite miscens
Veliuolum iam currit iter, camposq; liquentes
Diuidit, inuersi spumant aspergine fluctus:
Apparent montes, Afris benè cognita sedes
Piratis, curuiq; sinus, tacitiq; recessus,
Stœcades antiquo dicuntur nomine Graijs;
Declinat rector, clauumq; ad dextera torquet

Aequo-

Aequora, pacatis Zephirus placidissimus alis
A puppi aspirans venientes incitat vndas.
Et iam lucis erat finis, iamq; æquore currum
Abdiderat Titan alijs rediturus ab vndis,
Defessiq; dapes duris imponere mensis
Ardebant nautæ, dulcesq: haurire liquores:
In medio puppis, nam strauerat æquora ventus,
Concita clementi vix flamine procedebat,
Non tulit Italiæ inuigilans, magnisq; periclis
Arsinous tardo nauem torpescere motu;
Vtq; dapes videt instructas, & munera Bacchi
Infernos latices, & vesca papauera miscet:
Inde vbi dempta fames, durisq; sedilibus omnes
Languida sub remis posuerunt corpora nautæ,
Latheos adhibet rores, & fronde madenti
Tempora dispergit; venientem protinus olli
Accipiunt somnum, & curua ceruice recumbunt,
Quos vbi gens Erebi, somnoq; , meroq; sepultos
Sensit, & è manibus clauum fluxisse magistri,
Protinus in studia incumbunt; pars scandere puppim
Et clauum tractare manu, pars vela, rudentesq;
Aptare, & palmas alios suspendere in vsus;
Inde omnes vnà ruere, atque expandere pennas
Ingentes, oriq; cauas apponere conchas,

Queis

Queis soliti infernum horrendis stridoribus orbem
Implere, & miseræ glomerare incendia genti:
Nec tanto æquoreos percurrunt turbine campos,
Nec tales agitant Eurusq; Notusq; procellas,
Quanta Acherontæis excita fragoribus altè
Tempestas subitò insonuit, molesq; tumentes
Attollens imas pelagi patefecit arenas;
Ipsa inter rapidos agitata carina furores
Nocte atra, & latè Stygijs circundata nimbis
Ignotum decurrit iter, quò maxima ponti
Vis rapit, & nigri complentes carbasa flatus:
Et iam pingue solum Sardorum, & littora puppis
Raserat, atq; oriens Aurora retexerat orbem,
Cùm tandem ingenti commotus murmure ponti
Sulpitius somno excutitur, primòq magistrum
Aduocat; ille alios nautas per transtra iacentes:
Vt verò demissam hyemem, pelagiq; procellas,
Et dubias errare ratem videre per vndas
Obscuris septam nebulis, & nocte profunda,
Omnibus extemplò gelidus tremor occupat artus:
Nec mora, demitti conclamat cornua rector
Ardua, & antennis subnecti vela, simulq;
Viribus obnixos socios insurgere remis;
Sed fragor exuperat pelagi, sæuaq; procellæ

Impe-

Impediunt, vincunt venti, furit Auster vbiq;
Creditus, assumptas linquit moderator habenas,
Ipse polo attollens oculos, palmasq; supinas
Sulpitius tales imo dat pectore voces.
O maris, & terræ, ò nitidi regnator Olympi
Iuppiter, vt miseri incertis iactemur in vndis,
Nec quicquam humanæ valeant contendere vires.
Aspice, & optatam cœlo miseratus ab alto
Adfer opem, erranti portus da tangere puppi
Niliacos, si mille tuas Roma inclyta ad aras
Te colit, æterniq; tibi sacrantur honores,
Talibus orabat lachrymans, nauemq; videbat
Impete non solito tumidos proscindere fluctus:
Non tamen ille arces Siculûm, & vicina videbat
Littora, Tartarea obruitur caligine puppis,
Turbine quæ magno, & ventis stridentibus acta,
Aut Trepani plenis irrumperet ostia velis,
Aut pedibus proram Lilybæi impingeret alti,
Sed Stygiæ vetuere manus, primusq; tridente
Impulit Arsinous montem; tum cætera turba
Flectit iter puppi, cautes subitò illa sonantes
Diffugit, & pelago latè decurrit aperto:
Sic totumq; diem, & totam sine sydere noctem
Errauit tumidum vento agitante per æquor,

Dum

Dum timet extremam iam nauita perditus horam.
Nec minus, vt cœlo affulsit lux alma, diesq;
Nulla mali requies; cœli densissimus idem
Horror, & ignotus turbata per æquora cursus.
Ast vbi nox iterum tactis subuecta quadrigis
Attulit humanis tranquilla obliuia curis,
Paulatim rabidum pelagi decrescere murmur
Incipit, & nigras circum rarescere nubes:
Exultant animis omnes, clauumq; magister
Arripit, & patefacta notans iam sydera cœli,
Insperata hylari præportat gaudia vultu.
Vt verò pelagi penitus cessare furorem
Conspicit, ac auras placidè aspirare benignas,
Vela dari, extremo iungi caua lintea malo
Imperat, inde dapes, & vina liquentia mensis
Imponi, & socios tandem requiescere fessos.
Et iam quarta dies cœlum irradiarat, & alto
Iam Sole Hesperij lambebant carbasa venti,
Aeratoq; ratis sulcabat cœrula rostro:
Ecce Pharetoniæ turres procul aspicit vrbis
Sulpitius, signatq; viris lætissimus ore;
Olli mirantur stupidi, donumq; fatentes
Esse Iouis, cœlo attollunt vocesq;, manusq;.
Inde mari incumbunt, remorumq; agmine fluctus,

Proſcindunt magis adnixi: ferit æthera lætus
Clamor, & ingenti reſonant vaga marmora plauſu;
Iamq; propinquabant ripis, atroq; videbant
In pelagum volui tepefactos ſanguine fluctus,
Et cumulata hominum miſeranda littora cœde;
Hic etenim nuper crudeli morte perempti
Bis centum ſedes ſocij aſcendère beatas;
Dant gemitum nautæ, & caſum miſerantur euntes,
Et ſimul optatæ adponunt veſtigia ripæ:
Nec mora, Sulpitius iam nocte inſtante tyranni
Aduolat ad ſedes, regniq, patriſq; periclum
Explicat, & caſus omnes expandit acerbos.
Deficit auditis miſeris ſucceſsibus ille,
Ingentemq; premit turbato corde dolorem,
Nec requiem ſub nocte capit, nunc ardet abire
Quò fortuna vocat, charumq; iuuare parentem,
Nunc piget Aegyptum, dulceſq; relinquere amores.
Vt verò orta dies, proceres, patreſq; vocatos
Imperat obſeſſi duros audire labores
Auguſti, & cauſas violatæ ediſcere pacis:
Illi ad tecta fluunt, ſuetoq; ſedilibus altis
Ordine conſidunt regalia iuſſa manentes.
In medio occiduis veniens legatus ab oris
Diuiſum genero ſocerum narrauit, & omnem

Italiam

Italiam miserè ardentem ciuilibus armis,
Longæuumq; senem Gallorum è finibus actum
Obsidione premi, & pelagi penetrasse recessus,
Iamq; simul vitam & regnorum amittet habenas,
Afferat ingenti Cæsar nisi classe salutem;
Illum omnes optare vrbes, populosq;, ducesq;.
Sed postquam facto narrandi fine quieuit,
Egressus thalamo solium Maxentius altum
Ascendit, lustratq; patres haud fronte serena,
Hinc gemitum cum voce trahens mœstissimus infit.
Ingratas rerum moles, aduersaq; facta,
Commotamq; armis Europam audistis, & omnes,
Haud dubito, casus mecum doluistis acerbos:
Nunc aptare trabes, classiq; imponere turmas,
Et petere Italiam, nì vestra auersa voluntas,
Exopto; sed res animum, cædesq; recentes
Conturbant, natosq; monent sedare tumultus:
Consulite, ò Patres, nostrosq; leuate labores.
Tum prisca Maurus ducens ab origine nomen,
Sed virtute magis Pharijs celebratus in oris,
Non illo quisquam melior, nec amantior æqui,
Niliacas multos vrbes iam rexerat annos,
Aegypti columen, priscæ virtutis imago,
Consurgens placida affatur sic voce tyrannum.

Recte equidem patri, Regū Rex maxime Cesar,
Commotisq; paras Italis succurrere regnis;
Quandoquidem caput imperij, vasti arbitra mundi
Roma vna immensas rerum moderatur habenas;
Nec benè fœcundis Nilus quos alluit vndis,
Nec populos Lybiæ, Auroræ nec regna tenebis,
Victor si Italiæ, & Romæ dominabitur hostis:
Sunt acies, sunt arma tibi, stant mille paratæ,
Quæ turmas, quæ cuncta vehant in littore puppes.
I fœlix, conscende rates, pete debita regna,
Aggredere inuictum factis superare parentem;
Nec nati nuper commixta cœde tumultus
Tantarum impediant tractantem exordia rerum:
Infœlix, si nostra quies à virgine pendet.
Atque vtinam non illa Deûm ad delubra vocata
Exercere suos potuisset libera ritus,
Non regni turbata quies, non funera fleret
Tot claris orbata viris Memphitica tellus.
At nunc consilia admoniti mutemus, & iras
Ponamus: cur talem animis Virgo vna timorem
Incutit? armatas forsan tenet illa phalanges,
Et vocat ad pugnam, & Regi parere recusat?
An priscam potius fortunam oblita suorum
Viuit inops animi, nulliq; aspirat honori?

Nec fuit, o patres, verum si expendimus illa
Causa mali, nos Niliacas vt venit ad oras
Traximus inuitam subitò ad delubra Deorum;
Si periere senes, pugnam num Virgo poposcit?
Num pœnam optauit victis, flammasq; parauit?
Cæde madet littus: facta est de vulnere nostro,
Non mortem turmæ, sibi sed tulit illa salutem,
Dum rapidos fregit cultros, quos struximus illi:
At negat esse Deos: pœnas violata reposcent
Numina, non vires illis, non fulmina desunt;
Nec pœnas fugit emeritas quem nulla Deorum
Supplicia exercent, ætas manet altera nobis,
Qua commissa luant tenebroso in carcere manes.
Ergo agè, & ingentes animo nunc concipe curas,
Non te parua decent Cæsar, tibi brachia pandit
Oceanus, magnosq; parans Europa triumphos
Ad pugnas, palmasq; vocat; dominaberis vnus
Quà Tybris, Gangesq; fluunt, quà Nilus, & Ister:
Fœmineos agat illa choros, inopesq; superbis
Accipiat tectis, patrio quos subleuet auro;
Sic erit alma quies, nostris sic barbara terris,
Funera cessabunt: Viuant queis viuere Diui
Permittant, alios ferrum seruemus in vsus.
Dixerat, assurgens contrà sic Sergius orsus,

Sanguine Romano, & virtute insignis auita,
Nec genitoris amor, nec tanti exordia belli
Eoiste Auguste sinunt considere terris;
Nec dubium cuiquam, sumptis quin protinus armis
Italiam, Romamq; petas, hostemq; repellas:
Iamq; rates instructæ aderunt, tua iussa moramur,
Et poteris Cæsar regalem ascendere puppim:
Dirigat hyberno fatalem tempore classem
Iuppiter, aspirent Euri, ventiq; secundi,
Pacatusq; sinum pelagus tibi pandat apertum:
At res Aegypti secura in pace relinques,
Sanguine si tandem pœnas dabit impia Virgo
Ausa aras temerare Deûm, nec fraudibus vnquam
A Ioue commotam cessans auertere gentem:
Si qui magna negant venerari numina Diuûm,
Sæua vbi Romanæ populis dant iura secures,
Corporibus pendunt pœnas, nec parcimus vlli,
Cur leges impunè tuas, cur iussa parentis
Negligit vna Ioui contraria fœmina Cæsar?
Vidimus Augusti flagrantem crimine eodem
Crudeles soluisse domum cum sanguine pœnas,
Non immunis eques Romæ, sanctusq; Senatus,
Quæ noua nunc animos tangit clementia patres?
Non est sponte senum turmæ congressa, nec ædem

Sponte

Sponte Iouis petijt, signa exturbare Deorum
Quisquam hominũ, frustisq; solũ conspergere iussit?
Quis populos agitare dolis, laruisq; magorum
Mandauit, talemq; animis inducere pestem,
Vt miles Regi, & coniux parere recuset?
Dum fines procul Aßyrios Catharina tenebat
Mussabant taciti, nullusq; ex agmine tanto
Christiadum audebat nostris obsistere iussis;
Nunc, postquam Aegypti Virgo remeauit ad oras,
Exultant, tolluntq; animos; stipata cateruis
Innumeris mediam incedit Catharina per vrbem,
Instigatq; viros: Pœnas violata reposcent
Numina, credo equidem, at Diuos defendere Cæsar,
Cura tua est, cui summa vni commissa potestas;
Nec curant populi Reges, qui sancta Deorum
Numina contemnunt, causa est communis vtrisq;
Si nuper potuit tantos excire tumultus
Cæsaris ante oculos, quid non tentare malorum
Audebit, soluet nostro si è littore classis?
Fœmina quid Pharijs veniens à finibus olim
Fecerit, in mentem patres reuocate Latini,
Nec formosa minus Virgo, & regalis vtriq;
Stirpis honos, sed nostra magis, pœnisq;, minisq;
Irritata alto seruat sub corde venenum,

Iamq;

Iamq; vomet, iam cuncta odijs subuertet iniquis,
Vos prohibete patres; pœnas luat illa, nec vllus
Audebit violare fidem, Regiq;, Iouiq;;
Sic omnes placida populi sub pace quiescent.
Talia dicentem proceres vno ore sequuntur
Romani, pœnisq; nefas, & morte luendum
Conclamant: Pharij contrà, patresq;, ducesq;
Nil ausi sortem taciti miserantur iniquam;
Nec secus, obiectos tandem si irrumpere clathros
Montano potuit veniens è vertice torrens,
Victa seges, fruticesq; cadunt, furit ille per agros
Obijce non vllo, & latè trahit omnia secum.
Ast vbi consedit murmur, cunctiq; quierunt,
Attollens vultus solio Rex orsus ab alto.
Ibimus, ò patres, dixit, si illuxerit orbi
Quarta dies, vos interea, nautæq;, ducesq;
Expediant classem, turmasq; ad littora cogant,
Mandate: Aegypti populos, regniq; quietem
Ipse ego curabo, cœlo mihi Iuppiter adsit,
Veliuolásq; rates Tiberina ad littora sistat;
Non vires deerunt patriæ, non feruida virtus,
Inuenient mea fata viam. Nec plura loquutus
Descendit solio, & thalamis se turbidus abdit.
Illi per medium digressi protinus vrbem

Arma

Arma parant, aciesq; iubent considere ponti
Ad ripam, & remos nautas aptare carinis:
Vndiq; fit strepitus, commotam turba per vrbem
Ad portus ruere, intextasq; reuisere sedes,
Et Cererem, & transtris imponere dona Lyæi.
Tu sola ingentes inter, Catharina, fragores
Nil mortale putans, castæ intrà limina sedis
Cœlestes puro voluebas pectore curas;
Te circùm matresq; piæ, teneræq; puellæ
Christigenûmq; simul numerosa caterua virorum,
Effusi ante aras æternum in vota parentem,
Humanamq; Dei sobolem, matremq; vocabant,
Sacraq; fulgebant nitidis altaria tedis.
Iamq; aderat decreta dies, cunctisq; paratis
Ad curua instructæ properabant littora turmæ,
Feruebantq; viæ; thalamo Rex languidus vnus
Mentis inops vario fluitabat turbine rerum,
Nec rabido quisquam transfixum corda dolore
Compellare virum, ac abeundi exposcere tempus
Audebat, quisq; incertam pendebat in horam.
Abstulit vna moram turbatam sparsa per vrbem
Gens Erebi, Stygio ducibus quæ corda veneno
Sparserat, & tardos furiali incenderat igne:
Quippe vbi nox tacitis cœlum, terramq; tenebris

 Oburit,

Obruit, & Cæsar curis agitatus acerbis
Quærebat frustrà optatam per membra quietem.
Regale Arsinous tectum, thalamumq; superbum
Irruit, & prisci assumit cana ora parentis,
Puluere fœdatos crines, caua lumina, barbam
Squallentem, & curas vultum, pœnasq; notantem;
Tum gemere horrendum, mœstisq; vlulatibus ædes
Sulphure quas Stygio flammisq; incenderat atris,
Implere, & tristes effundere voce querelas.
Nate meus sanguis, misero succurre parenti,
Cui gener obsesso crudelibus imminet armis.
Respice res Italas, Gallorum è rupibus ille
Descendens petit Italiam, spolijsq; superbus
Victor aget volucres Capitolia ad alta iugales;
Ipse catenatus ducar, collumq;, manusq;,
Aut tremulo accipiam sceleratum gutture ferrum;
Tu, si dura mouet chari genitoris imago,
Si potis es tandem molles dimittere amores,
Solue rates, succurre patri, imperioq; cadenti.
Dixit, & horrisonis fugiens clamoribus auras
Impleuit, fugère faces maleolentis Auerni,
Et querulis tota fremuère vlulatibus ædes:
Quin & Tartareos linguis vibrantibus hydros
Irrepsisse thorum fama est, iuueniq; trementi

Infixum

Infixum rabido pectus maculaße veneno,
Lumina qui intorquens per cœca silentia postquam
Quæsiuit frustrà antiqui simulacra parentis,
Horrendos primùm furiato è pectore questus
Edidit; infixa veluti cum saucius hasta
Implet raucisonis taurus mugitibus agros:
Mox vbi lux menti rediÿt, paulùmq; recessit
Corde furor, regni, & patris commune periclum,
Atq; Italis hostem iam finibus insultantem
Mente agitans, ardet Pharia discedere terra
Quàmprimùm, & turmis pandas implere carinas;
Iamq; moras odit, iam lucem albescere terris
Optat in arma furens, stratisq; reuoluitur altis
Impatiens, serpit virus per viscera Auerni
Quandoquidem, & mentẽ insanas accendit in iras;
Non aliter bellator equus, si forte tubarum
Audiÿt ante diem sonitus, fremit igneus ardens
In stabulis, pedibusq; solum, & retinacula pulsat;
Tales ille amens furiarum percitus astro
Pectore sub noctem curas agitabat amaras.
Rex superùm interea cœli sublimis in arce
Prouida Niliacæ defixit lumina terræ,
Infensiq; videns iram expectare tyranni,
Et duplices lætam Catharinam tendere palmas

Supplicia orantem, & cœli conuexa tuentem,
Immenso pectus deuictus vulnere amoris,
E cœco ereptam decreuit carcere mundi
Sedibus inferre æternis, aruisq; serenis;
Vtq; alti decreta animi, sensusq; repostos
Pandat, & inspiret supera noua gaudia genti,
Sicut erat solio tantum super altus Olympum,
Quantus ad infernas sedes despectus Auerni,
Auratum attollens sceptrum, quod dextra gerebat,
Nota dedit superis diuinæ signa loquelæ.
Tum verò posuere omnes, quiq; alta Tonantis
Tecta colunt, & qui Soli vicina cadenti
Hospitia, Eoasq; domos, gelidiq; Bootes
Arua tenent, vario dispostas ordine sedes,
Ordine cuiq; suas, magnum quibus omnibus vna
Didita per cœlum subitò vox fertur ad aures,
Talibus & lætis permulcet pectora dictis.
Cœlestes animæ, duræ mea præmia mortis,
Quam generis sortem humani miseratus acerbam
Spontè tuli, & cunctos volui tolerare dolores,
Audite, & memori mea dicta recondite mente.
Sæpè Pharetoniæ casus doluistis iniquos
Virginis, & sæui trepidans ne iussa tyranni
Poneret Aegyptus, nostros metuistis honores,

Et

Et penitus sacros ritus dimitteret aris.
Nunc triplici tandem Catharinæ ornare corona
Tempora decreui, cœloq; inferre sereno;
Sat terræ, populisq; datum, satis illa Canopi
Ad cœlum gentes mira pietate vocauit;
Vos celebrate diem, duri qui meta laboris
Aduenit, ætherea Genitrix descendet ab arce
Ipsa mea, atq; alta morientem in sede locabit:
Non tamen effuso satiabit lumina quisquam
Sanguine, manabit niuei de corpore puro
Lactis honos, quale Ausonijs effudit in aruis
Paulus, & inspersit moriens dulcedine fontes.
Nec mihi chara magis crudeli morte triumphum
Aut peperit Virgo, aut pariet labentibus annis,
Illam ego delegi quondam, illi fœdere sancto
Coniunxi dextram, nunc præmia prima reponam:
Nec minus in terris, donec longæua recurrent
Sæcula, & extremos mundus considat in ignes,
Semper honoratum nomen, laudesq; vigebunt;
Illam doctoresq; pij, innuptæq; puellæ
Et pueri insontes, studijsq; intenta iuuentus
Patronam dicent, humilesq; in vota vocabunt:
Illius exuuias, nec erit mortale feretrum,
Cœlesti sed textum auro, gemmisq; coruscum

Ali-

Aligeri accipient, altoq; in monte locabunt;
Nostra vbi Idumæus vates præcepta recepit;
Huc populi varijs concurrent vndiq; ab oris
Aßyrij, Aethiopes, Persæ, Garamantes, & Afri.
Ac cineri pia thura dabunt, & dona reponent:
Ille autem diras soluet mihi sanguine pœnas,
Qui tenerum sæuo violabit vulnere pectus;
Cœlicolûm armatæ nitidum per inane phalanges
Tybridis ingenti cumulabunt littora cœde,
Ille sua implorans necquicquam numina flauo
Gurgite correptus fundo voluetur in imo,
Et vitam infandam rapidis diffundet in vndis:
Non tamen extincta, secludite corde timorem,
Virgine rellígio Eois succumbet in oris,
Non veræ amittent populi pietatis amorem;
Quin potius toto iam surgent optima mundo
Sæcula, iam melior rerum mihi nascitur ordo;
Iam vexilla Crucis latè venerabitur orbis,
Ipsa prior cunctis vanos Roma inclyta ritus
Deponet, falsosq; Deos detrudet ab aris,
Et septemgemini ponent fastigia colles:
Sic mihi sic placitum: cœlum purissima Virgo
Nunc petat, & sæuæ accipiat sua præmia mortis.
Dixerat, insonuit lætis clamoribus æther,

Inso-

Insonuere poli, fulserunt astra nitore
Insolito læti testantia gaudia cœli.

D. CATHARINAE MARTYRIS

LIBER SEXTVS.

AT Catharina pijs sub noctem exercita curis
Iam dudum interiora domus, arasq; tenebat:
Illic pendentem authorem, terraq;, marisq;
Dum videt, & laceros spectat crudeliter artus,
Traiectasq; manus, transfixaq; pectora ferro,
Obtutu defixa tenens immobilis ora
Infandam tacito voluit sub pectore sortem.
Ast vbi per molles cœlestis flamma medullas
Spargitur, irrorans ardentem flumine vultum,

Hac

Hæc secum. Tùnc ingentes perferre dolores
Natæ Deo, & duras conspergere sanguine cautes,
Ast ego nulla pati, nullas dare corpore pœnas
Vna mali tanti, & tanti causa vna doloris?
Talia dicenti cœlo vibratus ab alto
Apparet nitor, & latè loca lumine vestit;
Nec subitò magis aerij fulgore coruscant
Sub noctem, & longè monstrant incendia montes,
Vt puras subitò flammas, lucemq; cadentem
Accepit domus, & cœlestibus ignibus arsit.
Nec mora, virginei vultus, venerandaq; cœlo
Delapsa apparent tenues simulacra per auras:
Tres aderant nitidæ gemmis, auroq; micantes
Sydereo, & niueam spirantes corpore lucem;
Sed quæ sublimis medio stat limite Virgo,
Tantùm suprà alias ardenti lumine fulget,
Adspectuq; ingens tantùm supereminet ambas,
Quantùm fælices Arabum sublimis ad auras
Auricomos variata sinus, ostroq; renidens
Emicat antè alias volucres Titania Phœnix.
Obstupuit tantis primùm lætissima visis
Reginam agnoscens cœli Catharina, manusq;
Expandens supplex, O lux æterna beatûm,
O cœli decus, & populi spes vna cadentis

Tunè ades, & nostras humiles dignata latebras
Alma Dei genitrix summo descendis olympo?
Hæc effata dedit pedibus sua brachia circùm,
Pronaq; diuinis fixit chara oscula plantis.
Excipit amplexus superûm Regina benignè,
Luminaq; inflectens illo mitissima vultu,
Quo solet assiduas hominum miserescere culpas
Ambrosium effundit decus, & sic incipit ore.
Quam semper tota poscebas feruida mente,
O dilecta Deo, superæ noua gloria gentis,
Adfert optatam vitæ lux ultima metam.
Iam tibi supplicium stimulis agitatus iniquis
Rex parat, & stringit diros in vulnera fasces.
At Rex celicolûm, Patris omnipotentis imago
Ille meus sanguis, qui te olim præomnibus vnam
Elegit, præsensq; dedit sua pignora dextræ,
Ad thalamos vocat æthereos: quæ gaudia, Virgo
Accipies cœlo, terræ defuncta periclis?
Aspice, certa Dei quæ me mandata ferentem,
Circùm stant comites, superûmq; ardore refulgent,
Hæ quoq; te mediam sublimi sede repostam
Accipient, simul æternos iterabitis annos.
Hæc Magdalena est, nitidos agnosce capillos,
Qui domini madidos lachrymarũ aspergine quondã

Ab-

Abstersere pedes: Agnes est altera Virgo
Chara tibi; cernis qualem mucrone recenti
Saucia diuinum præportent colla decorem?
Talis eris, talemq; prius quàm pronus in vndas
Sol cadat Hesperias cœli super ardua sistam;
Tu modò suspiciens cœlum, sedesq; futuras,
Extremis summum votis venerare parentem.
Sic memorat, simul ætheræ noua semina lucis
Dissipat, & cœli ad culmen reditura supremi
Ardentum totas radiorum effundit habenas.
Corruit actutùm humanos deperdita sensus
Mortalis Virgo, tantisq; nitoribus impar
Claudit in obscuram languentia lumina noctem.
Et iam roriferis Aurora inuecta quadrigis
Purpureo rutilum candore rigabat Olympum;
Tum demum excutitur Virgo, dubijsq; pererrat
Luminibus visæ quærens vestigia formæ.
Ast vbi nusquam oculis optata apparet imago,
Nec venit ad cupidas dulcis vox amplius aures,
Cœlestum repetens animo simulacra Dearum
Virgineæq; sonum linguæ, flammasq; micantes
Attonitæ similis, primùm trepidatq; , siletq; ;
Mox cœlo attollens oculos, manibusq; supinis
Incipit illachrymans. O rerum immensa potestas

En tua summe Parens læto fatalia vultu
Iussa sequor, charamq; peto tua victima mortem;
Dulce fuit seruire tibi, dum vita superstes,
Dulce erit & sanctum morienti sanguine nomen
Testari, veramq; fidem, certamq; salutem:
O lux, ò multos hora expectata per annos,
Cùm pro te dabitur, pro relligione tuorum
Virgineum duro corpus submittere ferro.
Tè ne igitur Pater aspiciam, Natiq; licebit
Cernere, quæ roseum quondam effudère liquorem,
Nunc cœli spargunt flammantia vulnera lucem?
Ergò agè, & hanc animam morientis suscipe cœlo.
O Deus, ò genitor, vitæq; in fine labantis
Fœmineam supero confirma numine mentem:
Nec minus alma meos Virgo miserata labores
Adfer opem, vosq; ò nitidæ mea cura sorores,
Quas nuper vidi, famulæ succurrite vestræ;
Iungere non licuit dextras, non dulce loquentes
Audire, at certè æternùm mansura licebit
Iungere diuinæ immortalia gaudia vitæ.
Talibus illa suis orabat numina dictis
Certa mori, sanctasq; agitabat pectore curas,
Cùm senior Cœlo admonitus, mortisq; futuræ
Præscius Antistes notas properabat ad ædes,

Ast vbi cœlestem thalamos ingressus odorem
Sentit, & insolito adspectus fulgore verendos,
Diuinæq; videt maiores frontis honores,
Aduentum agnoscit superûm, tacitusq; volutat
Pectore, quanta Deus miseris mortalibus omni
Tempore pollenti diffundat munera dextra:
Tum prior æthereo conspersus nectare mentem
Aggreditur. Salue summo iam debita cœlo
Virgineos auctura choros sanctissima Virgo;
Non ego, quòd Stygio Romanus percitus æstro
Destinet exitium dira tibi mente tyrannus
Nuntius aduenio, nosti iam iam omnia certè
Admonitu Diuûm, nec me sententia fallit,
Quandoquidem vt veni, vultus, oculosq; notaui
Ardentes, animumq; Dei iam templa tenentem
Aeternam expectare breui de cœde coronam:
Sed Pater ille, suo nutu qui cuncta gubernat,
Qui vatem quondam sublimem euexit ad auras,
Vt rabidos inter sexta sub luce Leones
Detento iuueni grata succurreret esca,
Me tibi crudelis versanti in turbine mortis,
Cœlestis perferre iubet solatia mensæ:
O' longè ante alias fœlix Aegyptia Virgo,
Iam tibi parta quies, iam regni in parte beati

Cœli-

Cælicolùm vitam accipies, regemq;, Deumq;
Inspiciens auidos pasces lætissima visus;
Nos tibi perpetuis tedis adolebimus aras
Numen adorantes, nec gens erit vlla niualem
Aut Rhodopen colat, aut viridis saxa alta Lycæi,
Quæ tibi non cumulet largis altaria donis,
Et tua venturis veneretur nomina sæclis.
Hæc vbi dicta senex, tùm Virgo regia contrà.
Immensi benefacta Dei, Pater optime tecum
Sæpe recensebam, & memori sub corde premebam:
Nunc mihi concessam supremo tempore sortem
Donaq; dum reputo superùm, mens obstupet amens,
Vixq; sui compos grata sub mole fatiscit.
Ergò ego falsorum nuper simulacra Deorum,
Quæ colui, Infernumq; hausi de lacte venenum,
Mox nihil exiguo merui, famulata labore
Hostia facta Dei, sparso dotata cruore
Aeterni sublime petam penetrale parentis
Inter sydereas purissima numina matres.
QVAM citò nostrorum contingat meta laborum,
Præmia quæ cælo, merces quæ æterna sequatur,
Discite mortales, spesq; a me sumite vestras.
Nec minus (hoc vnum restabat deniq; munus)
O Pater, ò nostræ custos sanctissime vitæ

Huc

Huc ades æterni non tu ſine numine Regis,
Vitalemq; adfers præſenti in morte medelam.
Quare agè diuinos cuncti aggrediamur honores:
Sed prius exponens, animo quæ fixa recurſet
Cura ingens, vnum extrema te comprecor hora,
Sunt mihi bis centum florenti ætate puellæ,
Omnes perfuſæ ſacrato flumine frontem,
Omnes ardentes traducere puriter æuum:
Quàm metuo ne gens odijs accenſa nefandis
Irruat inſonti damnum allatura pudori?
Ipſæ autem, veluti nauis ſpoliata magiſtro
Fluctuat Aegæas Euro ſtridente per vndas,
In tantis trepident nullo auxiliante periclis?
Quòd te, cæleſteſq; ſacro ſub pectore flammas,
Et vigilem curam, humanæq; ſalutis amorem,
Si poſtquam veræ agnoui veſtigia vitæ
Te ſemper colui, ſemper tua iuſſa faceſsi,
Obteſtor, ſupplexq; oro, miſerere mearum,
Deſerti miſerere gregis, fidiſſime paſtor,
Quem tibi ſuprema diſcedens voce relinquo,
Cuſtodemq; precor, ſic te ductore ſub vno
Votiuum ſeruans domus intemerata pudorem
Inceptum decurrat iter, cœlumq; capeſſat.
Hæc Virgo; lachrimiſq; ſimul nitida ora rigabat

Ille refert, Tu ne elapsos Catharina per annos,
Auxilio superùm tantis exempta periclis
Diuinæ indubitas curæ? iam pelle timorem,
VIRginitas est tota Dei, Deus ipse pudicos
Defendet cœtus, tu vota audire tuarum
Incipe, virginibusq; pijs iam consule cœlo,
Ipse adero in terris. Nec plura effatus, eburnum
Ascendit solium, & sacris sese arduus offert;
Protinus accedunt famuli, textoq; rigentes
Expediunt auro vestes, sacrasq; thyaras;
Dant alij manibus lymphas, tremulisq; micantes
Ignibus incendunt lychnos, & thura ministrant:
Ipse inter medios multis venerabilis annis
Maximus antistes, niueo velatus amictu
Eminet, hinc alias ardentes murice vestes
Induitur, canosq; tegit rosea infula crines.
Ast vbi sacrorum turba stipante ministrûm
Aurato incumbens baculo peruènit ad aras,
Lumina deiectus, submissoq; ore precatur
Humanis veniam culpis, suaq; acta retractat;
Inde altare tenens, oculosq; ad sydera torquens
Intonat. In superis semper tibi maxima regnis
Gloria summe Deus; tum cuncti ponè sequentes
Exorant terris lætanti carmine pacem;

Diui-

Diuinasq; canunt laudes; it lætus ad auras
Clamor, & ingenti resonant tecta aurea plausu.
Ipsa nihil mortale sua sub mente volutat
Interea, atque homines audit dum Virgo canentes,
Olli cœlestis sonus obuersatur ad aures,
Quo dulces superûm linguæ, quo mille beatûm
Agmina cœlicolûm, vario dum sydera motu
Exercent certas stabili sub Sole choreas,
Lucida diuinos celebrant per templa triumphos;
At tum pura nouo miscentur viscera motu,
Viuidaq; ardentes ferueſcit flamma per artus,
Cùm summo mandante patre alta voce minister
Incipit egregij fatum narrare Ioannis;
Namq; canebat uti vesano incensus amore,
Impia saltanti seruans promissa puellæ,
Mandauit Solymus ferro dare colla Tyrannus
Illustrem pietate virum, quo iustior alter
Inter mortales vllo non tempore surget.
Ac veluti ceruo venantum terga prementum
Si canis accepit vocem de vertice rupis,
Surgit in absentem, & sæuo retinacula dente
Conuellens, rapido quàmprimum tendere cursu
Ardet, & arentes conspergere sanguine fauces;
Haud secus audito diuini funere vatis

X Exa-

Exardet Catharina magis disrumpere vita
Vincla, morasq; odit, iam sortem mortis eamdem,
Optatasq; dolens nimium tardare secures.
Iamq; vaporatas Petrus sublimis ad aras
Parua quidem, sed grata Deo sua dona ferebat.
Fundebatq; preces: & iam descendere cælo
Progeniem summi humana sub veste Tonantis
Tempus adest, veniens flexo iam numen adorat
Quisq; genu; panemq; sacrum, sacrumq; liquorem
Dum uidet, æternum niuea sub nube fatetur
Esse Deum, viuiq; Dei verum esse cruorem;
Ipse Pater tanta perculsus imagine rerum,
Ingentemq; Dei tacitè meditatus amorem,
Multa rogat, seq; indignum qui pignora cæli
Tractet, & impuro Dominum sub pectore condat,
Sæpæ vocans veniam culpis mortalibus orat.
Ast vbi sacrato tandem sese abluit auro,
Reginam vocat, & placido sic pectore fatur.
En tibi dilectus Virgo sanctissima coniux
Aduenit, extremi solamen dulce laboris,
Ille tibi faciles obitus, suauesq; dolores
Reddet, & in supera morientem sede locabit:
O te fœlicem, quæ summi in vertice cæli,
Quem nunc obscuro velatum tegmine sumis,

Irradiare Deum manifesta in luce videbis.
Sic Petrus: tùm Virgo oculos deiecta pudicos
Candida diuini carpsit libamina panis.
Interea è stratis surgens Maxentius omnes
Primores vrbis patres, proceresq; , ducesq;
Imperat acciri, Regisq; accedere sedes:
Conueniunt subitò Pharij, mixtiq; Latini,
Turba ingens, vario complentur limina catu;
Hi populos in pace regunt, & iura ministrant,
Hi turmas ad bella mouent, & prælia miscent
Ductores, alijs pictas agitare carinas
Cura, & veliuolo claßem deducere ponto:
Quos vbi stare omnes regalia iussa manentes
Rex tenet, egrediens thalamo stipantibus armis,
Maiestate ferox, tristiq; asperrimus ore,
Sublime ascendit solium, mox talia fatur.
  Iam reor aptatam classem, nauesq; paratas,
Atque meam stare armatam propè littora gentem
Vt iussi, Aegypti veniens cùm nuper ad oras
Nuntius, extremis Gallorum è finibus actum
Maßylias errantem arces penetrare parentem
Attulit, atque vni vitam concredere muro;
Stringere nunc remos, pandasq; implere carinas
Milite decreui, Phariosq; relinquere fines:

Quippe vbi sub tarda volui requiescere nocte,
Et placidum frustrà quærebant languida somnum
Lumina, longæui se se genitoris imago
Obtulit ante oculos complens ploratibus vmbras;
Heu, quàm mœstus erat, quæ tristi obducta colore
Signabat facies diras sub pectore curas?
Tum prior affari, & tristes depromere voces:
Nate veni, succurre patri, succurre cadenti
Imperio, populisq; tuis, gener impius vrget,
Iamq; tenet, ferrumq; mihi, mortemq; minatur,
Hinc victor petere Italiam, Gallisq; subactis
Destinat ingentes Capitolia ad alta triumphos.
Hæc pater, & nigris vlulans se condidit vmbris:
Quarè agitè, ò nostræ vires, conscendite naues,
Cæruleas aperite vias, vetat vsque morari
Me genitoris amor, magnisq; agitanda procellis
Ausonia, imperijq; caput pulcherrima Roma:
Ipse, priusquàm Phœbus equos demergat in vndas
Oceani, & nigra densentur nocte tenebræ,
Regalem ascendam puppim, ventisq; iubebo
Vela dari & validis nautas insurgere palmis,
Ille mihi semper maiora in vota vocatus,
Iuppiter assistet, dexterq; incœpta fouebit,
Ille meam ponet Thyrrena ad littora classem.

Inca-

Incolumem, & vobis vires, atq; arma ministrans,
Concedet ferro infidam prosternere gentem:
Sic erit ò socij, pœnam dabit improbus ille
Emeritam, & sparso turpabit sanguine terram,
Qui consanguinei violauit fœdera lecti,
Aut repetet fugiens Orientis signa Britannos
Maternos gelidoq; tremens se littore condet:
At vos custodes populûm, iurisq; ministri,
Dùm nos occiduis ferrum tractamus in oris,
Qui pro me validas regni moderatur habenas,
Audite, axilioq: ducem, regemq; leuate;
Ille Pharetonias vulgans mea iussa per vrbes
Tranquilla Aegypti populos in pace fouebit.
Hæc vbi dicta dedit solio Maxentius alto
Descendit, thalamoq; iterum se condit, & amens
Multa dolet, strident turbato pectore curæ
Infixæ, & diros renouant sub corde dolores.
Illi præcipiti tendunt ad littora gressu,
Certaq; Romani exponunt mandata Tyranni:
Tùm verò ingenti turbatur murmure portus,
Altisonisq; viæ resonant clamoribus vrbis,
Ad naues dùm quisq; ruit, pars candida malis
Lintea suspendunt, aptantq; ad transtra rudentes,
Pars nitidos altis imponunt nauibus enses,

Ha-

Haſtasq; , & clypeos auri fulgore micantes,
Aduocat abſentes ſtrepitu tuba clara canoro,
Caſtigatq; moras; procedunt ordine turmæ
Armatæ, littusq; premunt, tum pinea complent
Clauſtra; gemunt curuæ magno ſub pondere puppes.
At ferus Anthiochus furijs agitatus Auerni,
Linquere vt Eoos fines, Nilumq; ſonantem
Decreuiſſe videt Regem, & iam cuncta parari,
Nil niſi Reginæ mortem implacabilis ardet,
Impatiensq; moræ regales tendit ad ædes,
Et iuuenem varios voluentem pectore caſus
Aggreditur dictis, dubiumq; impellit ad iras.
Sic tibi barbaricos concedat Iuppiter hoſtes
Sternere, vbi Auſonias claßis peruenerit oras,
Aſpice, quæ immineant noſtris diſcrimina terris
O Rex, & populos ſecura in pace relinque,
Quas vna excierit moles, magnoſq; tumultus
Attonitum nouitate trahens Virgo impia vulgus
Nota tibi, & noſtras audiſti ſæpe querelas;
Quid neglecta Deûm repetam ſimulacra, tuumq; ,
Proh dolor, orbatum dilecta coniuge lectum?
Impoſitoſq; ſenes flammis, cæſamq; cohortem?
Nec ſatis, in Regem nunc hos, nunc ſuſcitat illos,
Auertitq; animos, vaniſq; erroribus implet

Fata

Fœta odijs, non dum priſcorum oblita parentum,
Fortunam, & ſummos generoſæ ſtirpis honores:
Sic metuo, ne animis regnum diſcordibus olim
Corruat, AETERNOS ſeruat concordia faſces.
Quarè agè magnanimi ſectans veſtigia patris,
Ne funeſta magis ſerpant contagia peſtis
Conſule, iam nimis, ò Ceſar, iuuenilibus annis,
Et nimis eximiæ potuiſti parcere formæ;
Cedat amor, vincat ſuperûm violata Deorum
Maieſtas, regniq; tui contempta poteſtas:
Vna luet meritas ſi fœmina ſanguine pœnas,
Vt cuncti ſanxère patres, tùm cœtera turba
In melius mentem referet, rituſq; nefandos
Deponet, Pharijs aderit pax aurea terris,
Iuppiter & cunctis vnus celebrabitur aris.
Hæc ſenior, tùm Rex gemitum de pectore ducens
Ingentem. Munus dabitur crudelis obire,
Quod cupis, & ſparſo ſatiabis ſæua cruore
Lumina; concedo victus, terraſq; per vndas,
Quas miſeri monſtrat genitoris imago requiro:
Non tamen ante mihi ſoluet de littore funem
Nauita, & intextæ current vada cœrula pinus,
Quàm precibus rurſus poſtrema perditus hora
Virgineæ coner faſtigia flectere mentis.

For-

Forsitan externas noscens me quærere terras,
Teq; videns regni crudelem fræna tenentem
Exuet immites animos; MVTatur in horas
Fœmina, nec semper teneræ intractabilis ætas.
Sic fatur, Theleũq; vocat, quẽ maxima Memphis,
Memphis magnanimûm Regum mirãda sepulchris,
Præstantem dextra genuit, sed copia fandi
Maior, & ambrosij manant è pectore rores;
Hunc Rex, queis Virgo posßit mitescere dictis,
Admonet, vt varius precibusq;, minisq; laboret
Auersos teneræ mores præuertere mentis,
Nescius, humanis qualem Deus implicet ignem
Cordibus, atque animos stabili sibi nectat amore,
Quem non mortalis valeat vis tollere linguæ,
Non ferrum, sæuæq; minæ, non mille catenæ.
Omnia quæ Theleus memori mandata recondens
Pectore, Reginæ notas properabat ad ædes:
Vt venit, vultu occurrit Catharina sereno,
Iam sibi decretas sperans audire secures,
Hortaturq; loqui, & veniendi dicere causas:
Ille his compositam rumpens è pectore vocem
Aggreditur dictis. O nostræ gloria gentis,
Magnorum Virgo soboles certisßima Regum,
Aspice Niliaca vt certus decedere terra,

Rex

Rex paret aratis æquor sulcare carinis,
Iamq; pedem faciant nautæ, soluantq; rudentes.
Et melius nostris iam tandem consule rebus,
Consule & ipsa tibi, nam quæ (miserabile dictu)
Supplicia expendes? quas pœnas ille reposcet,
Qui rapidis radijs, ferroq; immitis obunco
Tentauit tenerum nuper discerpere corpus?
Dij prohibete nefas, dirasq; auertite pœnas;
Tuq; decus nostrum, Phariæ spes vnica terræ,
Da placidas aures, precibusq; allabere amantis,
Quas ego nunc memori supplex tibi voce repono:
Non me qui exigui regni moderetur habenas,
Barbarus aut nigræ mittit regnator arenæ,
Sed qui fœlices Arabas, gentemq; Canopi,
Quosq; videt rubro surgens à littore Titan,
Et regit Hesperios populos, Romaniq; potentem,
Reginam terræ Romam, magnumq; senatum;
Ille tuos ardet thalamos incensus amore,
Inpartemq; vocat regni, rerumq; suarum:
Fortunata nimis, si te modò regia puppis
Accipiat, sternent tumidos tibi cærula fluctus
Aequora; diffugient nimbi, flatuq; secundo
Eurus ad Italiæ compellet littora classem:
Hîc tibi Romuleas venienti occurrere matres

Aspicies, auroq; tuos innectere crines,
Quid memorem, Ausonias vt iustis legibus vrbes
Vna reges, Romamq; tuam, patresq; togatos,
Cùm tuus aërias armis acerrimus Alpes
Transmittet coniux, populosq; in bella mouebit?
Quem tu victrici redimitum tempora lauru,
Altaq; candentes agitantem ad templa iugales
Ingenti excipies reducem lætissima plausu.
Hic orbem latè fœlici in pace fouentes
Concordes vnà longos regnabitis annos.
Forsitan & nostras olim remeabitis oras,
Vt spero, & supplex cœlestia numina posco.
Tum pater æthereus maiori flumine Nilus
Maior agens tepidos septena per ostia fluctus,
Fœcunda latè campos disperget arena;
Dumq; tuo teneros reptantes pectore natos
Inspiciet, priscos vultus agnoscet auorum,
Antiquos sperans iterum celebrare triumphos.
Tu verò interea solio Regina superbo
Excipies populos: veniet Iudæus, & Indus,
Quiq; colit mollis flagrantia rura Sabæus,
Et Persa, & multo Medus spectabilis auro.
Ergo agè, & Augustum non dedignata maritum
Da populis Reges, precibusq; inflectere tandem,

Quas

Quas Rex, quas omnis tellus Aegyptia fundit.
Dixerat, illa ſolo dudum defixa tenebat
Lumina, & inſani furias mœſtiſsima Regis
Tartareaſq; imo voluebat pectore fraudes:
Tùm demum attollens vultus, oculoſq; pudicos
Alloquitur. Quid me furiali percitus igne
Rex iterum ſtimulat, vaniſq; aſſultibus vrget?
Imperij frœnum, & vaſti conſortia regni
Sceptra geram, è ſolio varijs dare iura licebit
Gentibus, excipient Romanæ in littore matres:
Magna equidem Thelee, aſt eadem Fauſtina tenebat
Nuper, & Eoo cingebat ſtemmate frontem;
Attamen humani potuit contemnere regni
Sceptra, & cæleſtem peperit de morte coronam.
Idem me ardor habet, quos Rex largitur honores
Nil curo, effundet rabiem, dare corpora ferro
Mandabit, potero extremos perferre dolores
Ipſa quoq; & corpus crudeli opponere morti,
Vt libet, ergo petat ſine me ſua regna per vndas;
Non tamen optatas veniet cùm claſsis ad oras,
Imperio lætus, cœli nec luce fruetur,
Quandoquidem, ſic vera canunt oracula patrum,
Effuſus nimium ſanguis, cædeſq; piorum
Commouère Deum: iam veſtros vindice dextra

Insequitur sæuus Reges, pœnasq; reposcit;
Tù veniens alto de vertice Costantinus,
Bellator Christi, cœlo gratißimus heros
Victor agis patrias scelerata in pectora vires;
Desuper aligerùm nitidis exercitus armis
Effulgens tecum turmas dispergit iniquas:
Quas hominũ strages, quàm multo sanguine Tybrim
Vndantem video, camposq; horrescere cæde
Innumera, & varias adduci in tartara prædas?
HEV, si tarda Dei culpas vlciscitur ira,
Supplicia exardens tandem grauiora rependit.
Talibus exitium Regis miserata furentis
Plena Deo casus reserat Catharina futuros;
Tùm verò Theleus placidas bis reddere voces
Obnixus, rursusq; animùm tentare precando,
Bis nullas gelido voces à pectore traxit
Ancipiti terrore tremens, dum verba minantis
Ardentisq; notat flammantia lumina vultus.
Illa pedem referens, thalamum, & secreta reuisit:
Templa, vbi concordi lætißima turba susurro
Aduocat auxilio cælestia numina Diuùm.
Et iam regales mœstus peruenerat ædes
Nuntius, & Regi responsa ingrata ferebat.
Continuò horribili iuueni mens victa dolore est,

Igne-

Ignescunt iræ, superat violentia flammas
Pectoris, & toto ex animo detrudit amorem
Protinus exclamans. Sic me temeraria temnit
Fœmina, priscorum retinens nisi nomen auorum?
Iamq; vbi discedam nostros ridebit amores,
Iactabitq; suos superato è Rege triumphos
Christicolûm turba, & vanis comitata cateruis?
Non ita, sed tandem meritas det corpore pœnas,
Sic iubeo, & nostras edíscat temnere tedas:
Certè vbi proscindent celeres maria alta carinæ
Respiciens magnis resonantem luctibus vrbem,
Lætabor tantos animi satiasse dolores.
Hæc vbi dicta dedit, tectis se proripit altis,
Et mediam fertur lymphata mente per vrbem
Littora curua petens, subitò ruit omnis & vnà
Turba Ducum, rapiunt omnes, properantq; sequẽtes
Certatim Regem, complentur cuncta tumultu
Ingenti; quali hostiles si mœnia turmæ
Ascendant, ferroq; petant templa alta, domosq;.
Iamq; iter emensus puppi Maxentius alta
Sederat, & totam lustrabat desuper vrbem;
Hìc vbi Reginæ veniunt sublimia tecta
Ante oculos, cædisq; occurrit imago futuræ
Mitescunt paulatim iræ, rapidusq; relinquit

Corda

Corda furor, ſuccedit amor, maiorq; renaſcens
Immittit diros iuuenilibus oßibus ignes,
Quid non ſæuus Amor veſanos cogit amantes?
Iam rigidos tentare animos ſi flectere poſsit,
Et precibus veniam meditans expoſcere rurſus,
Hæc ſecum. Inſignis certè mea fama feretur,
Si tenera occumbet noſtro de vulnere Virgo;
Eſto, iterum oblatos ſpernit crudelis amores,
Coniugiumq; negat, nùm me indignata, hymenæos,
Expetit alterius, flammaq; exuritur vlla?
Dura equidem reſponſa dedit, meliora dediſſet,
Ipſe ego ſi ſupplex regalia tecta ſubiſſem,
Implorans veniam, et lachrymis ſimul ora rigaſſem.
Tales ille animo curas agitabat inanes,
Et fors in lachrymas texto ſe robore promens
Iret, & incaſſum rurſus contenderet vrbem,
Sed vetuit Stygijs educta caterua tenebris,
Littora quæ circûm, naueſq; effuſa paratas
Stabat, & inſultans nautas ſtimulabat inertes.
Fama eſt Tartareas regalis vincula nauis
Incidiſſe manus, altoq; è vertice mali
Horrendùm ceciniſſe tubam, ſignumq; dediſſe:
Vncta ruit ſubitò puppis, tum cætera turba
Inſequitur Regem, totaſq; immittit habenas

Ha-

Nauibus, insurgens remis, & carbasa pandens,
Fit via per fluctus, liquidis it plurima campis
Sylua comis excussa suis, sed candida tendens
Brachia & excelsæ feriunt capite æthera pinus.
Tempus erat, labens quo summo è vertice cœli
Phœbus ad Hesperias cursum molitur arenas,
Et roseo auratas inuoluit lumine nubes,
Cùm iam defessus validi moderator aratri
Perficit extremos nocte adueniente labores,
Frondosasq; domos turmæ per inane volantes,
Et repetunt notas animalia cuncta latebras:
At non Antiochus tarda sub luce quietem
Accipit, irarum immiti sub pectore fluctus
Assurgunt, tolluntq; moras; iam fascibus ardet
Sæuire, & duræ Catharinam opponere morti,
Qualis vbi aspersit cœlum nox prima tenebris.
Si procul audiuit vocem lupus improbus agnæ,
Inscius in densa liquit quam valle magister,
Sæuit, & è summo præceps se culmine mittit
Dentibus infrendens, gutturq; immane resoluens:
Talis flammato repetebat mœnia cursu
Ille vrbis, diramq; agitabat pectore cædem.
Vt venit, armari turmas iubet ocyus omnes,
Et circùm densis effundi compita telis,

Nec

Nec mora, festinant omnes, ensesq; coruscos
Corripiunt, multaq; vias indagine cingunt,
Queis patet ad priscas Catharinæ semita sedes.
Spargitur interea commotam fama per vrbem
Aduenisse horam, qua proles vltima regum
Procumbat, mortemq; luat sine crimine Virgo,
Regia priscorum magnum decus vna parentum:
Vndiq; fit gemitus, magnoq; miserrima luctu
Gens fremit, & mœstis incendit vocibus vrbem,
Crudelemq; vocat Regem, qui talia mandet
Funera, & ardentes odijs immutet amores.
Ipsæ precipuè tundentes pectora palmis,
Et scissæ crines pauidæ nullo ordine matres
Vrbe furunt tota, magni quo sæua doloris
Vis trhait, & diræ mestißima mortis imago.
Area vasta fuit domibus præcincta superbis
Vndiq;, sed læuum Pharijs erecta columnis
Porticus incingit latus, & se tollit ad auras:
Hîc alta in medio durißima scena futuri
Funeris erigitur compactis machina lignis,
Instruiturq; super nigro suffecta colore
Vestis, quæ teneros perculsæ Virginis artus
Excipiat, purumq; bibat saturata cruorem.
Hûc omnis confusa virûm, matrumq; subibat

Tur-

Turba ingens, mœstoq; implebat murmure cœlum.
Ipsa vna, vt vitæ metam aduenisse supremam
Vidit, & optatus peruenit nuntius aures,
Intima declarat vultu Catharina nitenti
Gaudia; quippe animo exultans super astra, polumq;
Euolat, æterniq; videt iam præmia regni.
Stant timidæ circùm, miseranda caterua, puellæ
Luctisonis totas complentes vocibus ædes,
Queis illa extremis mulcet mœrentia verbis
Pectora. Quid tantis auras implere sorores
Questibus, & nostrũ mœstas lachrymare triũphum?
En moriar, moriarq; libens: per vulnera, mortemq;
Est iter ad superos, sic nobis præcipit ille,
Qui nostras sancto pensauit sanguine culpas.
Sic mille innuptæ fortissima corda puellæ,
Queis varia admorũnt sæui tormenta tyranni
Crudeli æthercam pepererunt morte coronam.
State ergo, charumq; Deo seruate pudorem:
Ille per incertos securo tramite casus
Sedibus inducet superis, vbi maxima mecum
Virgineæ æternùm capietis præmia vitæ.
Sic fatur, tectisq; simul descendit ab altis,
Et sese armatis offert lætissima turmis.
O pater, ò cœli decus, impollute Ioannes,
Hũc vati succurre tuo, succurre labori

Extremo, tu Musa mihi, & diuinus Apollo;
Pauca quidẽ, sed magna manent, video agmina rur-
Agmina cælicolùm cœlo descendere aperto. (sus,
Quò ruitis? quæ tanta animis cœlestibus ardet
Virginis, ò superi, mortem spectare cupido?
Ast vbi cœlestes hastæ, gladijq; micantes,
Qui rapidas fregère rotas, cultrosq; minaces?
Aut, quæ sydereis latè inter texta hyacinthis
Aligerùm glomerata manus fert vela per auras?
Consiliùm agnosco superùm: cœleste feretrum
Hoc erit, humanæ quo summo in monte locentur
Exuuiæ: terris Arabùm decora alta futuræ.
Iamq; breuem molita viam peruenerat illuc
Virgo, vbi palantes complectitur area gentes.
Tùm verò ante oculos vt chara affulsit imago
Reginæ, horrisono cœlum clamore remugit:
Illa tamen tantos inter nitidissima luctus
Non lachrymas oculis, gemitusue è pectore ducens
Ibat, & æthereos oculis spargebat honores:
Qualis nigrantes inter pulcherrima nubes,
Cùm tenebræ cinxère polum, sub nocte renidet
Cinthia, candentem diffundens lampade lucem.
Ecce autem, superis figit dum lumina regnis,
Nil Virgo mortale putans, elapsa per æthra
Illa iterum simulacra videt, quæ nocte silenti

Vide-

Viderat æthereis thalamos inuoluere flammis.
Tres itidem cœlum Diuæ, nubesq; secabant
Purpureo auratam iactantes corpore lucem.
Stant varij manibus rami, frondesq; paratæ
Diuino ardentes auro, nitidisq; smaragdis,
Quæ triplici extinctæ nectant diademate crines
Virginis, humani superis monumenta laboris.
Illa triumphalis portat ramalia palmæ
Virgo decus Romæ, summo qua plurima cœlo
Aduelat crines mortalis prodiga vitæ
Gens, quæ per varios hostes, per tela cucurrit
Fortiter obijciens immani corpora morti.
Altera cœlestis ramos prætendit oliuæ,
Qua datur insignes sapientùm cingere frontes.
Desuper æterni Mater nitidissima Regis
Gestat, inextinctum mostrent quæ dona pudorem,
Virgineas lauri diuino èstipite frondes.
Quæ tibi tunc animo surgebant gaudia Virgo,
Cùm liquidas tantis ardere nitoribus auras,
Ingentemq; Dei Matrem, comitesq; videres
Aeternas adferre tibi sub morte coronas?
Et poßunt homines superis auertere mentem
Sedibus, & curas animis agitare caducas?
Et iam funereos molis superauerat altæ

Virgo gradus, lachrymosa ferens spectacula genti.
Hic, vbi conspexit ferrum, fascesq; paratos
Flexa genu, supplexq; manus ad sydera tollens
Extremas fudit morituro è pectore voces.
Accipe suprema deuotæ Virginis hora
Hanc animam, finemq; meo concede labori,
O' Deus, ò IESV, humanæ spes vna salutis:
Te duce, votiuum licuit seruare pudorem;
Fœmina nil aliud potui, nunc viscera linquo
Pura tibi; tu, ne exuuijs inimica pudicis
Obrepat labes, alto Deus aspice cœlo,
Hoc precor, & moriens spargo cum voce cruorem.
Dixit, & ancipiti submisit corpora ferro.
Et iam crudeli tentabat colla minister
Vulnere, cùm subito nubes (mirabile dictu,
Non ignota cano) nitidum diffudit amictum,
Vndiq; & ardenti morientem lumine texit.
Vt verò in tenues dissecta euanuit auras,
Nec Virgo, nec corpus adest; non sanguine tellus
Tincta madet; niuei tantum sed copia lactis
Mutarat nigram candenti aspergine vestem.

FINIS.

Scholia in Primum Librum.

Pag. 1. VNVS erat belli] Nomen ab Historia sumptum est; hunc etenim Antiochum pro Maximiano Imperatore Maxentij Patre, aduersus Persas strenuè pugnasse multi scriptores tradidere : fuisse etiam acerrimum Christianorum hostem, quę aduersus Andream Tribunum, & eius milites egerit, quos omnes ad vnum occidit, optimè declarant. Baron. in ij. Tomo Ann. anno Christi 301.

1. b. *Maximianus ei*] Maximianum Herculeum intellige socium in Imperio Diocletiani. Ex eo autem Maxentium natum fuisse à compluribus scriptoribus receptum est; quamuis à nonnullis in dubium reuocetur.

3 *Aut bis euersas*] Primùm à Tito, deinde ab Adriano Imperatore diruta est Ierusalem, vt notissimum est: hæ autem Iudęorum clades cum ab Ethnicis scriptoribus enarrantur; Christianorum quoque persecutiones amplectuntur; Iudæorum enim nomine Christianos quoq; intelligebant, cum vtrosq; eidem superstitioni, ijsdemq; sacris addictos censerent. Tacitus, & Suetonius testantur.

3. b. *Sanguinei voluunt amnes*] Persecutionem innuit, qua diu Christi Ecclesia à Diocletiano, ac Maximiano Cęsaribus exagitata est, omnium immanissimam, qua Tyrannorum sæuitia, & odia in Christianum nomen Christianorum sanguine expleta sunt.

5. *Petrus erat*] Ille videlicet Petrus Alexandrinus ab Athanasio, Eusebio, & omnibus antiquis Patribus eximiè celebratus, qui anno 300. Salutis Episcopus Alexandriæ renunciatus est; Christi fidem, quã viuens Alexandriæ prędicarat, anno post Christũ natũ 310. & quarto, vel quinto post Catharinæ obitum sanguine testatus est.

8. *Cernis vt horrifero*] Vixisse hoc tempore in AEgypto Antonium illum Magnum appellatum Authores omnes consentiunt: obijt. n.

anno salutis 356. cum iam centum & quinque annos expleuisset.

8. *Vnus erit*] Arrium intelligit Orientalis Ecclesię, vel potius totius Christiani orbis pestem, qui Christum Dominum non esse Patri consubstantialem impiè asserebat. Huius nefaria opinio Constantino Magno imperante à Nicena Synodo damnata est. Natus autem erat impurissimus Hæresiarcha, cum è vita Catharina migrauit, licet nondum impia dogmata disseminasset.

8. *Tunc tua rupto*] Alexandriam Marcum à Petro Apostolorum Principe missum AEgypto primùm Euangelicam lucē attulisse, suoq; sanguine Alexandrinam fundasse Ecclesiam satis constat. E qua eius postea ossa clam sublata, & in Italiam asportata, Venetias translata sunt. Illum autem fuisse AEgyptiorum Patronum, tum ex dictis, tum ex ijs, quæ de Petro Martyre à nobis supra relato narrantur, apparet. Qui cum ad supplicium raperetur ibidem securi percuti voluit, vbi Marcus Apostolus decesserat, cui etiam tamquam Patrono, ac tutelari Diuo multis lachrymis Alexandrinam commendauit Ecclesiam.

9. *Quæq; Manassæi*] Hanc etenim Terrę Sanctę partem tribus Manassè consecuta est.

13.b *Cernitis vt*] Tiburtius, Sebastianus, & alij omnes, quorum picta certamina videt Catharina, Diocletiano, & Maximiano Imperatoribus, tormenta passi sunt. Nec mirum est, impium hoc facinus quasi pulcherrimum Trophæum à Maxentio Maximiani filio depictum fuisse, cum impij Imperatores ob acerrimum in Christianos odium consueuerint de eorum cladibus, non secus, ac de Imperij hostibus deuictis columnas, vel trophea erigere; vt Diocletianus in Hispania de deletis, vt ipse putabat, Christianis monimenta excitauit. vt pulchrè Baronius in Annal. Tom. ij. adnotauit.

13.b *Supplicia in*] Verba Martyrologij hęc sunt. *Nicomedię passio multorum martyrum, qui cum Christi Natali ad Dominicum conuenissent, Imperator Ianuas Ecclesiæ claudi iussit, & ignem circùm circà parari, tripodemq; cum thure præ foribus poni, ac præconem magna voce clamare, vt qui incendium vellent effugere, foras exirent, & Ioui thus adolerent. cumq; omnes vna voce respondissent pro Christo se libentius mori, incenso igne consumpti, eo die nasci meruerunt in cælis, quo Christus in terris pro salute mundi nasci dignatus est.*

13.b *Nec procul æratis legio*] Thebęa hæc est illa inuicta legio, quę vnà

cum

cum Tribuno Mauritio iussu Maximiani Imperatoris; cum se Christianam professa esset, necata est. Ecclesia xviij. Kal. Octob. e egregij triumphi memoriam celebrat.

14. *Quippe nouas cœlo*] Ingentem Christianorum numerum moli illi struendæ inseruisse notissimum est. Cum autem iussu Imperatoris inuenti essent plurimi, qui nullis fracti laboribus adhuc supererant, omnes capite damnati, & ad aquas Saluias securi percussi sunt; numerum autem fuisse decem millia ducentorum recenset Ecclesia in eorum triumpho, qui vij. Idus Iulij celebratur. Nec defuerunt grauissimi scriptores, qui has Thermas adhuc durasse adfirmarunt, & earum potissimam partem in vsum Ecclesiæ commutatam, cum aliæ aliorum Imperatorum collapsę sint, vtpote sanctissimorum Martyrum labore constructas, atque ędificatas.

Scholia in secundum librum.

Pag. 18.b **F***ILIVS Hilarion*] Quæ hic de Beato Hilarione dicuntur, cum his vt plurimum consentiunt, quæ de eo à D. Hieronymo in eius vita exponuntur; annos enim quindecim natus Antonium inuisit, & ab eo reuersus bona pauperibus distribuit, & Gazæ solitudines ingressus procul à mundi huius illecebris vitam instituit.

19.b *Sunt horti*] Balsamum in Iudæa nasci solitum, postea Cleopatra regnante in AEgyptũ trãslatum fuisse multi scriptores tradunt. Quæ autẽ de hortis, vbi Christus infans commoratus fuerat, & de fonte dicuntur, ex sacris illarum regionum scriptoribus excerpta sunt, eaq; Baron. in primo Tomo diligenter recensuit.

19.b *Quo Casij veniente*] *Ingredietur AEgyptum, & commouebuntur simulacra AEgypti à facie eius*, dixerat Isaias. Id autem euenisse eo tempore, quo paruulus Seruator noster illuc migrauit Euseb. lib. vj. demonst. Athan. lib. de Incarn. Verbi, Orig. homi. 3. & alij patres commemorarunt.

22.b *En venit ille*] Hermon erat Episcopus Hierosoly. eo tempore, quo illuc peruenisse Catharina narratur; ann. enim à Christo nato 296 Episcopatui admotus est, cui postea Macarius successit ann. 312 qui in Episcopatu permanebat, cum Helena peruenit Hierusalem. Hæc omnia ab Eusebio adnotata sunt.

23. *Tunc forma, & nitida*] Apolloniam intelligit, quæ anno Christi

252.

252. Alexandriæ pro Christiana fide acerbissimos perpessa cruciatus tandem voluntariam mortem subiuit, cum á Principibus illius vrbis in Christianos seditio commota esset.

24. *E sacris monumenta*] Fuisse Hierosolymæ tempore D. Catharinę, & Lanceam, & Columnam, & alia salutis nostrę instrumenta, quę hodie Romæ, & alibi honorantur à Christi fidelibus, ex eo facilè conijcitur, quod & D. Hieronymus in Epist. de B. Paula, & Beda in libello de locis sanctis, qui multos annos post Catharinam fuerunt, adhuc ea Hierosol. permanere, & à Christianis asseruari testati sunt: quin Gulielmus Archiepis. Tyrius in Hist. de bello sacro Lanceam, quę latus Domini aperuit, Antiochię, & Hierosolymis Sanctissimæ Crucis partem ab Helena relictam ingenti gaudio repertas, & ab vniuersis veneratas fuisse, & earum presidio præclaras victorias de Persis, & Turcis Christianos adeptos, narrat.

25. *Vrbanum vidiße senem*] Fuit hic Pontifex Maximus anno salutis 227. Quod verò de similitudine duarum catenarum dicitur, quibus vinctus fuit Petrus, illud innuit, quod postea diuino miraculo factum est, cum ea, quę ex Iudæa exportata est, alteri ita connexa est, vt vtraq; vna tantum videretur.

26. *Tum virga*] asseruatur adhuc in Basilica Lateranensi: eam autem in triumpho Vespasianus attulit, & in Templo Pacis reposuit, vt ex Iosepho, alijsq; & scriptoribus Baron. Annaliũ Tom. primo.

26.b *Nec licuit contra*] Sunt hæc non poetica figmenta, sed omnia à D. Hieronymo, Paulino, & alijs sanctissimis viris memoriæ mandata, quæ etiam singula recensuit Beda in lib. de locis sanctis.

28.b *Et super infandum*] Paulinus in Epistola ad Seuerum. *Hadrianum existimans se fidem Christianam loci iniuria perempturum, in loco passionis simulachrum Veneris consecrauit, & Betlehem Adonidos fano profanata est.* Hæc ille, idemq; ab Eusebio, Sozomeno, & alijs adfirmatur, qui etiam addiderunt quo tempore, & quo modo hæc loca ab Helena, & Constantino expurgata, & insignibus templis fuerint illustrata.

29. *Tunc alijs linquens*] Fuit enim Helena oriunda ex Britannia.

30. *Terrarum in medio*] In circumferentia, vbi Crux Christi infixa erat, verba Psalmographi Gręcis literis insculpta sunt? *Operatus est salutem in medio terræ.* Vide authores, qui sancta illa loca descripserunt.

31. Nec

31. *Nec minus hæc magno*] Conſpicitur etiam nunc, vt ijdem ſcriptores tradunt in petroſo Caluariç monte ſciſſura grandis, quæ Christo moriente facta eſt, cuius latitudo ea eſt, vt facilè humani corporis craſsitiem capere nequeat, profunditus autem tanta, vt oculorum acie nequaquam inueſtigari poſsit. Meminit autem Euſebius, Lucianum presbyterum inter alia Chriſtianç fidei argumenta, hanc ſciſſuram in morte Domini factam adduxiſſe, cum ad iudicium eſſet deductus.

32. *Sebaſten*] Sammariç vrbs, quæ ab Herode Rege in honorem Cçſaris Auguſti, Seuaſte, voce Grçca, ideſt Auguſta, fuit appellata.

32. *Infernos circum manes*] Cum Sebaſten perueniſſet Paula, vt refert Hieron. circa ſepulchrum D. Ioannis Baptiſtæ vidit Dæmones miſerè cruciatos, varios edere mugitus, & homines vocibus canum latrare, atque vlulare more luporum.

33. b *Grata Paleſtina*] Non ſolum loca Natiuitatis, & Paſſionis Domini Noſtri decorauit Imperatrix Helena, ſed etiã templo circumdedit Sanctiſſimam Nazarenam domum, quam Paula illa à Hieronymo celebrata ad loca ſancta accedens inuenit decoratam, atq; exornatam, cum poſt aduentum Helenæ, eò profecta fuerit: Catharina verò ante Nazareth petierit, domumq; inornatam, & pœnè latentem offenderit.

Scholia in librum quartum.

30. b NEC *puer*] Antinous ſcilicet ab Adriano in delicijs habitus, & in numerum Deorum relatus, de quo Euſebius, Iuſtinus, & alij ſcriptores Eccleſiaſtici, qui nefariam impietatem gentibus obiecerunt.

32. b *Thebæas ſtricto petijt*] In primo libro de certamine Thebçç legionis, & fortiſsimi Tribuni Mauritij dictum eſt. Quæ verò de Traiano Ceſare iuſtiſsimo quidem, vt tempora illa patiebantur, Imperatore dicuntur, notiſsima ſunt. Hoc autem Imperante perſecutio acerbiſsima mota eſt in Chriſtianos, qua Clemens Pontifex, Flauia Dimitilla, & innumeri alij perempti ſunt. extat Plinij ſecundi ad Traianum de Chriſtianis Epiſtola, & eius reſcriptum.

32. b *Annales petat ille*] Taciti ſcilicet, & Suetonij, qui culpam in Imperatorem transferunt, qui inter alia facinora nomen incendiarij adeptus eſt. Rem egregiè tractauit Baronius Annal. Tom. primo ann. Neronis decimo.

53. *Fulmineæ quondam*] Legio Christianorum illa Melitina à Latinis scriptoribus fulminea dicta, quæ precibus a Christo Deo suo imbrem exercitui Romano siti laboranti, fulmina verò, & ignem in Germanos, & Sarmatas impetrauit: de quo egregio opere non tantum Tertullianus, Apollinarius, Eusebius, & alij Christiani scriptores, sed etiam ipsius M. Aurelij Imperatoris literæ extant ad Senatum.

Scholia in librum quintum.

64 GALLORVM *extremas*] Notissima omnia ex historicis, præcipuè ex Sigonio lib. 2. de Imper. Occid. cum etenim Maximianus de Imperio adimendo Costantino, cui Faustam filiam in matrimoniū collocarat, consilia cum Treuiris inijsset, Fausta ad virum omnia detulit, ille ad milites: qui tanto Maximiani perdendi studio exarserunt, vt illum per totam Galliam persecuti nunquam quieuerint, donec Massiliam, vbi se receperat, expugnarent.

64.b *Est specus*] Vt lacus Auernus in Italia Pôetarum figmentis ansam dedit, ita & vorago hęc in Gallia, ex illo descendisse AEneam ad inferos, Virgilius; ex hac animas mortuorum appellasse Vlissem, Homerus commentus est.

64.b *Effera si facta alterius*] Apud Galerium Cęsarem diu permansit Constantinus, vbi multis insidijs petitus omnes diuina ope effugit, & ad patrem moriētem aduolauit, vbi summa cum lætitia exceptus ab exercitu summo applausu Augustus appellatus est.

65. *Quid mox Gallorum*] Asaricum, & Gaisonem Francorum Reges intellige. hi violata pace, quam cum Constantino pepigerant, Gallias inuaserant, contra quos ex Britannia milites adduxit Constantinus, belloq; superatos in deditionem accepit.

FINIS.

Ego Cosmus Mineruettus I.V.D. legi hunc librum D. Alexandri Rinuccinij Patricij Florentini, in quo Heroico carmine narratur obitus D. CATHARINAE Virg. & Martyris: & nihil in eo inueni, quod Catholicæ fidei, aut bonis moribus aduersetur; sed summam passim eruditionem, ac pietatem, & propterea dignum iudico, vt typis mandetur: In quorum fidem propria manu subscripsi. Die 25. Septemb. 1613.

Cosmus Mineruettus I.V.D.

Visa suprascripta Attestatione Multum R.D. Cosmi Mineruetti, concedimus facultatem vt præsens liber imprimatur Florentiæ die 27. Iunij 1613.

Horatius Quaratesius Vic. Flor. subst.

Videat Pater Emanuel Ximenes, & referat. Dat. in S. Offitio Florentiæ 27. Iunij 1613.

F. Corn. Inq. Flor.

Legi hunc Librum D. Alexandri Rinuccinij Patritij Florentini, in quo nihil contra Catholicam fidem, aut bonos mores reperi, dignumq; opus esse censeo, quod typis mandetur. Florentiæ in Collegio societatis IESV, 29. Iunij ann. 1613. Emanuel Ximenes.

Fr. Corn. Florent. Inqu. 29. Iunij 1613.

Stampisi secondo gl'ord. soliti, di 1. di Luglio 1613.

Niccolò dell'Antella.

